

1779

den Schul-Fachlehrern



dem Königl.

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

Memorandum des 20. September 1863



Faint, mostly illegible text of a memorandum, possibly containing administrative or educational matters.

Brief 1863

174

De

## fastorum municipalium Campanorum fragmento defensio.

**I**terum scribendi de celeberrimo fragmento fastorum municipalium Campanorum, quod ante hos tres annos in commentationum epigraphicarum volumine edidimus, vel occasionem vel necessitatem nobis imposuit Theodori Mommsenii disputatio, inserta actis societatis litterarum regiae Saxonicae Lipsiensis anni 1850 fasc. III. Qui cum ediderit disputationem suam postquam nostra prodiit, scripsisse se dicat, antequam nostram cognosset, duas res egit, primum ut ex sua opinione de exemplis monumenti eximii dissereret ipsumque constitueret, deinde ut errores, ut ait, nostros perversasque sententias refelleret. Quam nos disputationem vel silentio praetermitteremus totam vel qualis esset, data occasione paucis significaremus, nisi necessariae prope quaedam causae, postquam diu tacuimus, nos causam nostram agere cogerent invitos. Etenim semper ea fuimus in sententia, ut contentiones virorum doctorum, quas irae plenas, litteris ipsis saepe inutiles esse intellexissemus, fugiendas potius quam quaerendas esse arbitraremur, verborum vero iniuriam, quae nimis saepe adhibetur, ferendam magis quam referendam esse putaremus. Neque enim convicia et maledicta, si vera sunt, possunt redargui, sin falsa, tempore ipso facillime pereunt. Eius sententiae olim edidimus documentum satis apertum neque poenitet: quo magis nunc aliter nobis agendum esse dolemus. Etenim primum res est de monumento praestantissimo, quod modo constitutum a nobis atque ita constitutum, ut posset intelligi, corrupti rursus iisque, qui nulla propria investigatione uterentur, corruptum offerri nolebamus, praesertim cum Mommsenii, qui novissime corrupti, insignis confidentia animos minus constantes movere posse videretur. Cuius quaestionem ubi primum cognovi, sic fere mecum cogitabam: rem dignam utique

esse, de qua scriberem. Monumentum enim esse nobile, causam facilem, victoriam certam. Quidni hominem praeferoce paululum coercerem, ut minus audacter iudicare disceret aliosque antequam dicerent cogitasse intelligeret? Contra obversabatur animo litteras nostras alia ratione adiuvari rectius. Quid enim esse turpius quam eorundem studiorum homines inter sese discordare? Immo si quid boni inesset, laudandum ac quasi pleniore ore celebrandum, mala premenda, ne litteris nostris diffidere inciperent homines iisque parum veri contineri existimarent. Deinde quid esse, cur ipse vituperarem? Inventuros facile esse alios atque indicaturos, fortasse etiam futurum, ut sese ipse in veriore viam revocaret, ipse sese emendaret, non ut fateretur sese peccasse, sed poneret tamen, quod verum esset. Quodsi arrogantia uteretur non ferenda, quid attinere a me emendari mores hominis? Notam praeterea esse ac perspectam eius rationem omnibus, nec me magistro eius temeritatem esse castigandam. Haec cum cogitarem, sepositis quae scripseram, ad alia animum adverti idque potius operam dandam esse putavi, ut nova invenirem quam vetera ab iniuria invidorum defenderem. Sed aliter accidit ac putaram. Primum enim Mommsenius ipse tantum aberat, ut denuo cogitaret quae scripserat, ut eadem omnia in corpore inscriptionum Neapolitanarum n. 697 repeteret. Deinde etiam viri quidam docti, qui nec omnia examinare aut vellent aut possent nec, cum a nullo monerentur, tantam sibi fraudem factam esse suspicarentur, credere Mommsenio eiusque opinionem tamquam certa esset propagare coeperunt. Qui verum aut videret aut diceret, nondum extitit quisquam, idque animum meum sane vehementer movit, non modo illius monumenti causa, quod denuo pessumdari viderem, verum etiam propter communem quandam temporum nostrorum fortunam, quae num in aliis quoque disciplinis inveniatur, nescio, in nostris quidem litteris merito a viris peritissimis deploratur. Incredibile enim prope est, quae et qualia credant nunc homines. Nihil excogitatur tam stultum, tam temerarium, quod non reperiatur qui comprobet. Spernantur auctoritates, evertantur, si quae relinquuntur, nesciatur Latine, proferatur denique quod et per se absurdum sit et cum universa antiquitate dissentiat, erunt tamen, qui tamquam novum aliquid laudent, qui admirentur, qui temere sequantur. Quodsi adiciatur ad haec quaedam verborum confidentia, ut si qui aliter statuere audeant, in eos acriter invehere, tum vero, quasi aliquid tamen rationis in eo subesse oporteat, in quo nulla sit ratio, impune prorsus peccabitur. Nam etiamsi quis forte quaedam intelligat minus recte esse disputata, insigni iudicii debilitate non vituperabit, quod falsum erit, sed ingeniosam coniecturam praedicabit. Quasi vero ars nostra illud ingenium admittat, quod in poeta vel fabularum auctore admirari solemus. Qui quamvis finxerit quae nunquam ulla fuerunt, dummodo naturam humanam bene expresserit, merita laude afficietur. Quo in genere rectissime sic dicere licebit, quo quis magis ingenio suo utatur, eo esse artis nostrae imperitiorum. Accesserunt ad haec, quae diximus, causae quaedam nobis propriae, quae



nisi fuissent, ferremus illa, ut multa ferimus humana, non ut laudaremus perverse aut probaremus, sed ut taceremus tamen temporique permetteremus quae tempus genuit. Sed nunc tot tantosque impetus in nos ac nostras res a Mommsenio atque eius amicis fieri videmus, ut, nisi resistamus, verendum sit, ne ultra quam oportet timidi aut ignavi esse videamur, animique cuidam infirmitati tribuatur, quod a ratione ac consilio proficiscebatur. Ac quodammodo pro impetu quasi poterit illud haberi, quod Mommsenius commisit, qui in corpore inscriptionum Neapolitanarum, quod nuper edidit, in tanto odio nomen nostrum habuit, ut nusquam commemoraret. Quamquam, si aut honeste aut constanter agere vellet, debuit commemorare. Quid enim? Litterae nostrae a tot viris doctis amplificatae atque auctae, a tot aliis etiam leviter ac perverse tractatae sunt, ut si quis in quovis argumento anxie omnes, qui de eadem re scripserunt, nominare velit, oneret magis quam ornet disputationem suam neque prae iis quae refellenda sunt, ad novum quicquam perveniat. Itaque qui vetusto tempore in arte nostra elaborarunt, nisi si qui eximium aliquid invenerunt, ignorantur fere. Neque id est vituperandum. Quoniam enim quicquid boni habuerunt, dudum in communem omnium usum transiit, si eorum nomen tacebimus, neque iniuriam cuiquam inferemus et perpetuitatem artis nostrae servabimus. Excusandus etiam est, si cui quid nolenti excidit; late enim patent litterae. Sed si quis de eadem re, de qua tu dixeris, paulo post disputarit, eamque disputationem quamvis optime cognorit, sciens silentio praetermiserit, quo eum nomine appellandum esse censeas? Iam norat Mommsenius, quae de fastis Campanis disputavimus (scripserat enim contra ea), sed, quasi nulla talis disputatio fuisset, nominare eam noluit. Nimirum eos modo dicet auctores a se esse nominatos, qui monumenta ipsa vidissent eamque normam per totum opus sibi fuisse propositam. At sic neminem, qui edidit, debuit nominare; nemo enim vidit monumentum. Ne ipse quidem. Quod autem praestari poterat, ut novum aliquod necdum satis cognitum exemplum adhiberetur, id fecimus et fecimus primi eamque laudem nobis ipse impertiit Mommsenius. Violavit igitur, quod sequi etiam per operis sui universam rationem debuit, eoque magis, quod nostra disputatione plena continetur monumenti celeberrimi explicatio, quam ipse nunquam temptavit. Ita dum cupiditati suae indulget, sibi ipse aliquantum detrimenti attulit; qui enim monumentum illud leget, etiam nostra cognoscere volet. Similiter autem egit in aliis rebus. Exposuimus enim cum olim de Augustalibus, tum nuper de universa re municipali, quam, si non nobis, sed aliis credimus, primi ita constituimus, ut et multos aliorum errores tolleremus et quorundam magistratuum naturam ac potestatem detegeremus. Quis igitur non putet aliquo loco nominis nostri fuisse mentionem iniiciendam, praesertim cum Mommsenius saepe cum aliis tum se ipsum etiam in levioribus rebus laudet? At ille diligenter sane nostri omnem mentionem defugit; quae invenimus, idem tam diligenter sequitur, ut de quattuorviris municipalibus cum nos cum dubitatione aliqua pronunciassemus,



ipse in indicibus operis sui quasdam veteres suas falsas opiniones immisceret. Quare viris doctis non mediocrem obscuritatem offudit, ut quidam prope dubitarent, an nostra prorsus ignorasset, qua de re si quis quae ipse olim de iisdem rebus scripsit quaeque disputarunt alii, ex quorum iudicio pendere solet, cognovit, nihil potest dubitationis relinquere. Nimirum hoc ille agebat, ut existimarent homines ipsum nostra quaestione non opus habuisse, sponte sibi ac divino aliquo afflatu obviam venisse, quae aliis ut invenirent non contigit, nobis post longam et accuratam rei investigationem contigit. Ridicula prope est res et ipsi certe inutilior quam nobis molestior. Neque enim eos nos esse putamus, qui ex mentione Mommseniana pendamus aut perierimus, si quid ille ex nostris rebus iudicibus minus peritis eripuisse videbitur. Meminimus etiam illud, quod poeta ait, pauperis esse numerare pecus, neque nostra nunc causa haec diximus, sed ut litterarum perpetuitas retineatur atque ille qualis sit cognoscatur. Neque vero ipse modo, ubicunque potuit, res nostras carpsit, verum etiam alii quidam solent de nobis cum morosissima parvarum rerum cavillatione, eorum quae bona proferimus, summa dissimulatione referre, qui quia iniurias suas adhuc habuerunt impune, nullam in nobis defendendi potestatem esse videntur existimare. Molestum est ad vetera reverti aut ea persequi, quae in communem omnium notitiam pervenerunt; sed unum commemorabo, quod per se ipsum notabile est. In quaestione enim sane difficili atque a multis saepe temptata verum nos vidisse concedunt, sed eosdem rationibus parum validis aut rectis esse usos: qua re incredibilem nobis adiciunt auctoritatem, a qua assumenda absumus longissime, ut tantam antiquitatis cognitionem penitus quasi tenere videamur, ut vel sine argumentis vel, quod maius etiam est, falsis argumentis quod verum est invenire possimus. Equidem arti nostrae non minus quam reliquis veri cognitionem propositam esse iudico ac memini me multum aliquando ridere, cum vir sane doctus ac litterarum nostrarum peritus narrabat quendam scripsisse de loco aliquo difficili adderetque aberrasse illum quidem a vero, sed recta tamen via ac ratione esse usum. Quem ego putabam falsi inveniendi viam commonstrasse.

Quamquam operae pretium est, universam, quae cum maxime placet, inscriptionum Latinarum tractandarum rationem qualis sit breviter cognoscere. Neque enim illi nos nostra causa oderunt, sed quia studiorum nostrorum rationem oderunt, ideo cum litteras per se ipsas spectare nequeant, ne homini quidem parcendum esse putant. Atque in hac re primum eos improbo, quod litterarum dignitatem non capiunt. Occuparunt enim ephemerides et annales scientiae nostrae; in iis sese invicem laudant, aliter sentientes cum magna contemptione verborumque arrogantia reprehendunt, denique externa quadam industria supplere volunt, quod veri studii sanique iudicii deficit. Qua in re similiter prope agunt atque illi, qui ut suas merces quam plurimo vendant, vicinos in malam famam vocare ac per amicos sese ipsos laudandos curare solent. Neque hi non commode agunt; est enim iis

propositum ut pecuniam faciant. Nos vero sequi debemus aliud litterasque cogitare, quae nisi honeste et sincere et sua causa tractentur, adiuvari nequeant. Illi vero, qui nunc epigraphicam Latinam profitentur, aperte operam dant, ut maiorem partem virorum doctorum, qui huic generi minus studuerunt, decipiant. Etenim nescio quid obscuri ac reconditi esse dicitant artem epigraphicam, in cuius quasi *ἀδύρο* neminem posse pervenire, nisi qui ab sua secta didicerit. Id ut persuaderent hominibus, duas imprimis res excogitarunt sane admirabiles, in quibus mysteria illa suae artis posita esse affirmant, stilum, quem vocant, epigraphicum et criticam epigraphicam. Ac de peculiari quodam orationis genere quod in inscriptionibus Latinis inveniatur qui nunc credat, merito rideatur. Quid enim? In libris, opinor, Romani dicebant Latine, in titulis monumentisque non dicebant? Fuit haec olim quorundam peregrinorum opinio, ut, cum ipsi parum scirent Latine, fingerent sibi aliquam Latinitatem, quam inscriptionum propriam esse dicerent, sed ea opinio apud ipsos qui invenerunt iam explosa est; Germani quidem num unquam serio crediderint nescio. Quid enim discrepat in inscriptionibus ab communi Latinitate? Num verba inveniuntur alia? Sunt sane quaedam, quae in inscriptionibus solis supersint; sed ea ideo videntur nova, quia vulgarem Romanorum orationem fere ignoramus, tituli autem non modo ab eruditis hominibus scripti sunt, verum etiam ab indoctis et litterarum rudibus. Ac quis unquam stilum, ut ita dicam, qui vulgi fuerit proprius, detegere sibi visus est? Num constructiones verborum sunt dissimiles? Immo eadem ac si quae reperiuntur minus notae vel minus bonae vel aperte denique falsae, id item ad consuetudinem vulgi, de qua diximus, pertinet. Num orthographia quae appellatur scribendorumque vocabulorum ratio est alia? Immo, si multa, quae ab insecitia vulgi profecta sunt, excipias, ex inscriptionibus petenda est ea ratio, quae Romanorum fuit propria, quam ut discat, cum maxime virum quendam doctum epigraphicae Latinae operam dare videmus. Num denique color universus orationis alius est in titulis, alius in scriptoribus? Alium sane esse oportet, quia aliud agitur. Brevitati studetur in inscriptionibus ac gravitati, et formulae quaedam sollemnes imprimis in monumentis sepulchrorum reperiuntur, quas quod in scriptoribus non invenimus, casui tribuendum est. Neque id satis causae est, ut diversam titulorum esse orationem existimemus. Neque tantum interest inter Ciceronem et Ciceronianae aetatis titulum, quantum inter Ciceronem et inter Tacitum, ne inferioris temporis scriptores adhibeam, quorum oratio longe etiam dissimilior. Quare qui credet de stilo, quem illi existimant, epigraphico, infinita omnia genera stilorum statuat necesse est, primum aetatum, deinde locorum. Quae enim Latinitatis diversitas in scriptoribus diversarum aetatum observatur, eadem in titulis est. Quid tam dissimile potest esse, quam tituli libertatis tempore scripti, simplices, graves, sinceri, et illi, qui in quartum vel quintum saeculum cadunt, quorum ex timore ac magniloquentia facile omnem tunc orationem perisse cognoscas? Quid? Nonne

aliter loquebantur in titulis Galli, aliter Itali, aliter Hispani, aliter Daci? quae eadem diversitas in scriptoribus, qui diversarum regionum sunt, animadvertitur. Nihil igitur in oratione inscriptionum Latinarum est obscuri, nihil reconditi, nihil, quod singulare aliquod studium requirat. Duae res opus sunt, quae eadem ad intelligendos scriptores Latinos opus sunt, scire Latine et nosse antiquitatem. Has qui habet, non minus intelliget inscriptiones quam scriptores. Neque hercle probabile est aliter locutos esse Romanos, cum in aere scriberent, aliter cum in charta. Quodsi usus quidam et exercitatio videatur requiri in re epigraphica, sane requiritur, sed non magis quam ad quemvis scriptorem vel intelligendum vel recte aestimandum, neque ipse ille, qui optime Latinitatem expressit, Cicero a quoquam satis intelligitur nisi qui magnam cum eius libris familiaritatem contraxerit. Nec vero propterea viris doctis Ciceronianae orationis quasi quaedam singulares tenebrae ac difficultates obiiciuntur, quas nisi si quis initiatus sit, vincere non possit. Quae cum ita sint, ferimus sane, si quis nomine stili epigraphici complectitur quicquid de oratione Latina ex inscriptionibus disci potest, quo in genere nuper Zellius magnam laudem meruit, concedimus etiam facile si quis hanc litterarum partem minus nunc apud nos notam esse queratur quam debet esse, sed eos, qui aliquid eximie obscurum et difficile et ab omnibus aliis generibus diversum inesse iactant, idque quale sit nisi peculiari quodam studio cognosci non posse significant, merito nimium artem suam praedicare existimamus.

Veruntamen, ne una modo re a ceteris hominibus differre videantur, adiecerunt illi alteram, quam imprimis gravem ac reconditam esse docent, criticam epigraphicam, ad quam factitandam non communi illo, quo reliquae philologiae partes percipiuntur, usu ac studio, sed singulari quodam ac proprie divinitus quasi conformato ingenio opus esse celebrant. Equidem omnino nunc multos criticae et nomine et natura abuti video, qui cum criticam in verbis modo scriptorum ad codicum auctoritatem constituendis versari eosque, qui hac una re occupantur, solos criticorum nomine appellandos esse statuunt, sine dubio quod per omnes artis nostrae partes latissime pertinet, in exiguum sane ac, si cum universae rei magnitudine atque ubertate compares, prope sterilem campum concludunt. Quid enim? Rerum numquid nulla est critica? Ut discas, quid dixerint auctores et quomodo dixerint et cur dixerint, ut intelligas, per quot quantosque errores tandem ad id deventum sit, quod in antiquitate fuisse videatur, ad hanc videlicet rem similesque plurimas illa face philologiae, quae critica appellatur, non opus est? Sed hoc quidem malae alicui aetatis nostrae consuetudini tribuamus neque refert magnopere, quia fere ad nomen solum pertinet; illud vero non tolerandum, quod ex hac, quam quidam unam esse putant criticam, rursus partem quandam separant, quam cum item ad verba sola referant, diversam tamen ac peculiarem esse opinantur. Nam quid inter inscriptiones et inter scriptores hoc in genere intersit, non intelligo. Illarum verba constituuntur dupli-



citer, aut ex lapidibus ipsis si ii extant vel in promptu sunt, aut exemplis, quae de lapidibus olim descripta sunt. Quid horum dissimile est in scriptoribus? Horum sane nulla extant, ut ita dicam, *αὐτόγραφα* i. e. exempla ea, quae ab ipsis auctoribus profecta sint, neque possunt extare. Sed accedunt ad eorum similitudinem pauci quidam codices tam vetusto tempore scripti, ut errores librariorum emendationesque imperite doctorum vix passi sint, in quibus examinandis ac describendis criticae arti parum relinquitur. Atqui in iis inscriptionibus, quarum monumenta ipsa supersunt, quae conferri liceat, criticae munus est nullum. In eo enim posita sunt omnia, ut quae in lapide vel aere inveneris, cum fide repraesentes: hoc oculorum manuumque est totum, ingenio et doctrinae et cogitationi nullus locus esse debet, ac rectissime dicere licebit, quo quis magis omni litterarum cogitatione abiecta id unum agat, ut, quod oculi repererint, id manus expriment, eo rectius hanc epigraphicam partem esse administraturum. At hoc loco illos, qui criticam epigraphicam iactant, multa ac magna praedicare audio de difficultate legendarum inscriptionum, quanti id sit laboris, quanta molestiae, quanta artis. Num maioris, quam codices legere atque examinare? Equidem a peritissimis huius rei iudicibus, qui totam prope vitam in codicibus tractandis consumpserant, sic accepi, vulgarem aliquem codicem ac satis bene scriptum a nullo posse tam diligenter excuti, ut, si quis denuo quaesiverit, non inveniat, in quibus ille peccaverit aut addendo aut minuendo. Quid igitur existimabimus de codicibus aut incerta difficilique manu scriptis aut tempore mutilis ac prope deletis, quid denique de palimpsestis illis, ex quibus nostra aetate eximiae antiquitatis reliquiae prodierunt, quos quanta sit difficultatis legere nisi qui ipse viderit legendique periculum fecerit, non facile aestimabit? Itaque, quod in scriptoribus fit, idem accidere videmus in inscriptionibus, ut decessorem emendet successor. Olim propter diligentiam describendi magna in gloria erat Smetius, illum vicit sine dubio Kellermannus, sed vincebat ita, ut modestiam retineret, Kellermannum multis locis correxit Mommsenius, hunc corriget alius atque aut quod fuerit non vidisse aut quod non fuerit vidisse demonstrabit. Nimirum hoc sensibus humanis nititur, qui semper aliqua ex parte fallunt; reliqua litterarum nostrarum pars animum requirit atque ingenium, quae ut sunt praestantiora, ita quaedam possunt reperire, quae vera et aeterna sint. Illae vero inscriptiones, quarum lapides vel aera perierunt aut ita abscondita sunt, ut legi non possint, quid habent, quod non idem accidat in scriptoribus? Aut enim uno exemplo nituntur, cum primum eius, qui descripsit, auctoritas consideranda erit, utrum doctus fuerit an indoctus, si etiam alios lapides descripserit, qualis in illis esse videatur, deinde Latinitas spectanda erit et res. Sin plura erunt exempla, nonne ea item ut codices non numeranda, sed ponderanda, ut singulorum auctores expendas et numquod forte non ex lapide ipso, sed ex alio exemplo ductum sit deliberes? Denique illud, quod nunc imprimis cum magna difficultatis asseveratione agitur, ut vera fictane sit inscriptio

aliqua iudices, quid tandem requirit, quod non idem in scriptoribus sit adhibendum? Cum Ciceronis aliqua quae fertur oratio sitne eius nec ne disceptatur, in iudicium vocanda, opinor, primum fides eorum, qui tradiderunt aut commemorarunt, deinde dicendi genus et res: eademque omnia erunt spectanda, cum de Ligorianorum titulorum fide agetur. Quae igitur harum rerum est, quae alia sit in scriptoribus, alia in inscriptionibus? Quare, nisi forte placet criticam aliquam Ciceronianam et Taciteam et Plautinam et reliquorum scriptorum excogitare, ne de epigraphica quidem ulla credemus critica. Hanc vero qui statuet, idem necessario non universam aliquam epigraphicam, sed aliam inscriptionum Italicarum, aliam Gallicarum, aliam Hispanicarum, aliam priorum, aliam inferiorum temporum statuere debet, quaeque unius generis eiusdemque artis sunt, in innumerabilia et genera et artes discerpent.

At, inquit quispiam, cur tu illam nominis vanitatem tantopere insectaris? Quin pateris illos epigraphica sua critica frui, dummodo recte inscriptiones constituent. At primum hoc pertinet ad artis nostrae universae fines describendos, ne qua talis rerum coniunctissimarum admittatur separatio. Tum non parvum sane nunc ipsum inde nascitur incommodum. Novi enim viros nostrarum litterarum sane peritos, qui cum intelligant, quanta antiquitatis cognoscendae facultas recondita iaceat in inscriptionibus Latinis, adire tamen ad eas vereantur, quia hac obscurae alicuius ac prorsus singularis artis iactatione deterrentur. Nimirum hoc illi cupiunt: sibi solis tantarum divitiarum arbitrium permitti volunt, atque ut in suam quasi possessionem, quam opinantur, alios ingredi prohibeant, ideo spectra quaedam quae artis suae aditum impediunt excogitarunt. Eademque de causa solent peregrinas auctoritates, quas parum apud nos notas esse sciunt, citare suspensisque quasi verbis utuntur, ut, dum minus possunt intelligi, plus quam dicunt videantur intelligere. Accedit, quod ne ipsis quidem haec singularis alicuius et orationis et criticae et artis epigraphicae iactatio est utilis. Etenim primum nimium fere tribuunt novis monumentis inveniendis atque in nimio honore habent eos, qui primi inscriptionem aliquam detexerunt. Quasi non ea quae nota sunt monumenta pleraque longe sint graviora et difficiliora, in quibus explicandis qui operam suam collocat, maiore adeo laude videatur esse afficiendus. Siquidem illud, ut nova invenias, ex fortuna pendet, ex opportunitate temporis, ex aliis rebus multis, quas non in tua potestate habeas, recteque nuper doctus quidam vir Gallus, qui patriae suae monumenta magna cum cura non modo indagavit verum etiam explicavit, Alphonsus de Boissieu, si primus cuiusque monumenti editor maximo honore afficiendus esset, plurimum certe deberi dixit opificibus illis, qui in terra eruenda monumentum aliquod reperissent, qui idem praestarent ac viri docti, qui si quid primi edere properarent, magnopere praedicarentur. Neque ego haec ita disputo, ut aut nova despiciam aut eorum studium vituperem, qui copiam monumentorum augere velint, a qua sententia

absum longissime; sed suum cuique rei pretium statuendum atque illud tenendum, operam illam quamvis quodammodo ad artem nostram pertineat, ipsa tamen arte nostra non contineri. Atque ita studia epigraphica non solum ab eo, quod praecipuum esse debet, avertuntur, verum etiam eo tota deducuntur, ubi nos quidem amplius tueri non possimus. Quid enim? Num in monumentis investigandis ac describendis nos certabimus cum indigenis? At hoc quidem, quamdiu in illis aliquod rerum patriarum studium superest, fieri vix potest. Neque enim satis est semel vidisse monumentum; saepe considerandum est, saepe examinandum, locus, unde prodiit, saepe investigandus, multa denique spectanda, quae nisi qui in ipsa monumentorum propinquitate vivit, praestare non potest. Itaque hac quidem in parte qui procul ab monumentis degimus, vincimur necessario et, quamvis multum laboremus, tamen vincemur, nec quod assequi non poterimus, tanto studio nobis proponere debemus. Rursus autem illa monumentorum opportunitas gignit fere aliud incommodum, ut nescio quomodo animum in leviores illas res, ad externam quasi monumentorum formam pertinentes, convertas easque si ipsas manu atque aere expresseris, artem summam assecutus esse videre, ab iis autem avertas, in quibus maxima antiquitatis cognoscendae facultas posita est. Itaque qui illud maxime operam dant, etsi in singulis quibusdam rebus aliquantum elaborant, universam tamen vel reipublicae totius vel moris institutique rationem complecti nequeunt, quo fit, ut, cum in nostris litteris multum necessario coniecturae relinquatur, ne singulas quidem res satis recte intelligant. Idque cum alias tum in Henzenianis quaestionibus, quas magni alioquin facere soleo, animadverti, quae quamvis fere ex amplissimis ac limpidissimis Borghesiana doctrinae fontibus perpetuo quasi irrigentur, haud paulo rectius quod sequuntur essent assecutae, si illam, quam nobis propriam esse oportere dixi, rationem diligentius tenuissent neque ad singularum ac parvarum rerum tamquam scopulos adhaesissent.

Sed haec de universo genere, ut et errores quosdam minueremus, et viro-  
rum doctorum studia ad inscriptiones Latinas non utiliores quam apertiores ceteris-  
que artis nostrae partibus similiores invitarem, dicere constitueramus. Iam ipsa  
quae deinceps suscipienda est disputatio vereor hercle magnopere ne minus iucunda  
sit; nobis certe fuit molestissima aegreque victo pudore ad eam descendimus.  
Quamquam aliqua haud scio an delectatio capi possit ex ipso scriptionis quod refel-  
lendum est genere. Iniustus sit sine dubio, qui vera velit esse in libro aliquo  
omnia, qui nullum errorem excuset, nullam maculam condonet praeclareque viden-  
tur in rebus humanis agere, qui eam legem constituent, ut, quo in libro plus boni  
quam mali invenerint, eum ne condemnet: cognovi etiam quosdam scriptores,  
quorum ipsi errores prosint viamque veri inveniendi commonstrent. Sed rarae om-  
nino sunt eae disputationes, quae non modo ab eo, quod praecipue propositum est,  
aberrant, verum nihil habeant, quod ulla probabilitatis specie commendetur. Ex hoc



autem prope genere est Mommseniana disputatio, quae cum nobis initio magnam admirationem obiecisset, ut singula cogitare atque examinare coepimus, praeter unam rem sane levissimam, quam nos magis praetermisimus quam falso constituimus, nihil habere veri, nihil recti, nihil ne probabile quidem reperta est. Id singillatim persequi et utilissimum esse censemus et aliquatenus iucundum.

Veruntamen ut intelligatur, quae res agatur, historiam monumenti breviter explicabimus. Inter eas inscriptiones Latinas, ex quibus municipiorum Romanorum respublica cognosci possit, primum facile locum obtinet ea, quae vulgo Capuae inventa esse dicitur. Etenim non modo in eo tempore versatur, quod et difficillimum prope est totius historiae Romanae neque aut a scriptoribus aut aliis monumentis satis illustratur, verum una est eiusmodi, ex qua vicissitudines magistratuum municipalium apertissime possint intelligi. Itaque ab omnibus, qui antiquitati Romanae operam dederunt, cum praecipua quadam cura examinata est. Qui de Augusto eiusque cum Antonio contentionibus disputarunt, magnopere se adiuvari putabant serie consulum, qui inde ab anno 34 usque ad annum 28 a. Chr. fuerunt; ea plena et ita ut suffectorum et nomina et tempora addantur, in hoc uno monumento exhibetur. Qui de municipiorum magistratibus quaerebant, quae munera in aliis plurimis monumentis singula cognoscent, ea in hac una tabula sibi offerri coniuncta admirabantur, multasque adiici significationes, ex quibus de ipsorum munerum ratione et de bellorum civilium confusione coniectura posset fieri. Quo erat odiosius, quod tantum monumentum non dico mutilum (nam id in tot inscriptionibus ferendum est, ut in hac ne querendum quidem esse videatur), sed male disiectum ac turpiter confusum circumferebatur. Etenim consulum Romanorum seriem apparebat esse falsam, quia tertius Caesaris Octaviani consulatus commemorabatur ante alterum; in magistratibus municipalibus minus patebat illud quidem vulnus, sed subesse aliquid inde intelligebatur, quod nulla series aut perpetuitas eorum constitui poterat.

Nimirum sic nobis traditum est monumentum. Primus edidit, qui primum inscriptionum Latinarum corpus anno 1534 condidit, sive is Apianus sive Amantius appellabitur, p. 315, cuius exemplum mendosissimum vitiis magis significatis quam sublatis repetiverunt Smetius p. 163, 9 et Gruterus p. 299, 2. Deinde Stephanus Pighius in annalibus Tom. III. p. 494 ex codice cardinalis Michaëlis Cervini retulit placuitque de ἀπόγραφον et F. A. Avellino in Opusc. div. T. II. p. 257 et Orellio in amplissima inscriptionum Latinarum collectione T. I. p. 107, tum Ant. Franc. Gori in Jo. Bapt. Donii inscriptionibus antiquis p. 158 ex fratris Iucundi Veronensis schedis, quod exemplum repetitum est a Donato p. 155, 3, tum Muratorius in novo thesauro inscriptionum p. 294 ex schedis Farnesianis, denique ipsi ex codice Pighiano Berolinensi f. 203 exhibuimus in commentationum epigraphicarum volumine p. 6. Ex his quinque exemplis constat Muratorianum et Pighianum prius, quod in annalibus est, contra fidem codicum manuscriptorum, ex quibus sumpta

sunt, ita esse mutata, ut quid mutatum esset, non significaretur; nam quae in reliquis aperta est consulatum Romanorum confusio, ea in illis nulla est, sed magistratum municipalium non minor perturbatio. Optimum autem esse item constat codicis Pighiani ἀπόγραφον, quod nos primi exhibuimus. Superest etiam sextum exemplum in codice cardinalis Canalis, ex quo Bart. Borghesius discrepantes lectiones ad marginem Gruteriani exempli annotavit. Eas edidit Mommsenius in corpore inscript. Neapolit. n. 697, sed nihil magnopere habent, quod non item ex reliquis cognoscatur.

Hanc universam exemplorum sex, quae nota sunt, naturam esse cum constet, antequam quomodo ea inter se connexa sint, videamus, hoc quaerendum est, ad quem locum tota inscriptio pertinere videatur. Dubitationem enim primus de ea re movit F. A. Avellinus in Opusculis T. II. p. 257, sed leviter tamen et ita ut certi nihil statueret. Nimirum res sese ita habet. Apianus et Donius cum de loco, quo monumentum inventum sit, taceant, Pighius in annalibus ait servari solere Capuae in castro vel palatio ducis Calabriae, idem in exemplo manu scripto praemittit: Capuae in castro apud ducem Calabriae, Muratorius denique: apud ducem Calabriae in castro Capuano; nam de codice cardinalis Canalis nihil refertur. Haec cum ita sint, in commentationibus epigraphicis p. 13 sic scripseram: „Equidem cum intelligam, quomodo si Capuae esset lapis, in schedis Farnesianis dici potuerit extare in castro Capuano, non intelligam, quomodo eundem, si prope Neapolim esset, Capuam referre potuerit Pighius, parum certo hoc quidem documento Avellini suspicionem niti iudico.“ Avellinus enim dubitarat, an castrum Capuanum, quod Muratorius nominat, intelligendum esset alterutrum ex duobus castris, quae Ferdinandus I. Arragoniae rex idemque Calabriae dux prope Neapolim habuit, ex quibus alterum extra portam Capuanam eius civitatis erat atque inde nominabatur.

Contra haec Mommsenius disputat ultra quam credi potest leviter eoque quasi artificio utitur, ut, quod demonstrandum sit, eo utatur pro documento demonstrandi, tamquam patronus quidam in iudicio hominibus tenebras offundere velit, non id, quod verum est, quaerendum sit. Sic enim ait: Apianum et Gorium tacere, in Muratoriano exemplo inscriptionem collocari apud ducem Calabriae in castro Capuano, itemque, nisi quod Capuae sit pro Capuano in codice Marcelli, quem Pighius expressit.\*) Ita efficit, ut secundum eorum ipsorum, qui monumentum nobis tradiderunt, fidem non Capuae, sed Neapoli in castro Capuano lapidem fuisse

\*) Operae pretium est, cum hac argumentandi ratione soleat uti Mommsenius, ipsa eius verba cognoscere. Sic igitur ait p. 225: Apian und Gori schweigen ganz; Muratori's Handschrift setzte die Inschrift apud ducem Calabriae in Castro Capuano und ebenso (nur mit dem Schreibfehler Capuae für Capuano) der Codex des Marcellus. At in hoc ipso sita est omnis contentio, utrum Capuae legatur an Capuano. Illud si legitur, Neapolitana domus dici nequit, sin hoc, potest dici. Ad scribendi vero errorem hoc referre eoque deinde tamquam testimonio uti a recta ratione est alienissimum.

certum sit. At hercle illa auctorum fides haec est, ut Pighianus codex, quem et verum et solum prope cui credatur dignum esse constat, exhibeat Capuae in castro, quod etiamsi quis statuat non cum fide exscriptum, sed mutatione esse effectum, quo errore existere potuerit ex eo, quod est in castro Capuano, minus intelligo; oportebat enim certe esse in castro Capuae. Contra quem item certum est de coniectura ab eo quod in suo codice invenisset discessisse, Muratorius exhibet in castro Capuano, qui cum alia mutarit, cur non hoc quoque mutasse videatur? Idque, ut Muratorius sine ulla auctoritate sola coniectura ductus mutasse neque ipse castrum Neapolitanum intellexisse videatur, eo est veri similis, quod castrum Capuanum nequaquam necesse est referatur ad castrum in urbe Neapoli situm, sed item ad castrum Capuae pertinere potest, unde ne illud quidem pro certo affirmaverim, apud Mur. p. 1172, 5, ubi monumentum in castro Capuano apud ducem Calabriae ex schedis fratris Incundi refertur, Neapolitanam domum significari. Quare prudentissime fecit Avellinus qui cum nec de palatio Neapolitano minus cognosset quam Mommsenius et unam illam loci significationem Muratorianam haberet (nam Pighii exemplum manu scriptum ignorabat), admodum tamen dubitanter pronuntiandum esse putavit. Nunc qui fidem auctorum spectabit, nisi magna temeritate ducetur, quin Capuae hoc monumentum tribuendum sit, dubitare non poterit. Nam etiam Capuae fuisse castrum aliquod ducis Calabriae saeculo quinto decimo temporum illorum historia docet apertissime: multae nobiles gentes in perpetuis quae tunc erant bellis eiectae sunt, quarum domos ac castella rex occupavit. Quorum in unum hanc inscriptionem allatam esse quid habet admirationis? Iam scio equidem posse quaeri, num, quo loco asservari consuerit monumentum, eodem sit repertum. Sed et alio haec quaestio pertinet et, si Capuae servabatur inscriptio, Capuae etiam, non ipso eo loco, quo postea collocata est, sed prope eum esse inventam longe est simillimum veri. Quod qui credere nolet, ad incertissimas coniecturas deferetur. Quae cum ita sint, apparet, opinor, et bona nos ratione de loco, quo fastorum hoc fragmentum repertum esset, iudicasse et Mommsenium temere corruptoque quasi de industria testimonio statuisse aliter. Quamquam hoc ferendum; illud vero iure indignor, quod in inscriptionibus Neapolitanis n. 697 his fastis praemisit haec: **Locus deest apud Ap(ianum), Don(ium);** apud Mur. Pigh. collocatur apud ducem Calabriae in castro Capuano. Quid? Nonne hoc decipere est, non decipi? Cum apud Pighium legantur ea, quae supra posui, quis tam insignem sibi fraudem factam esse poterit suspicari? Quis non ita existimabit testimonia cum sint eadem, in eorum interpretatione sitam esse aliquam difficultatem, non ipsa ea inter sese discrepare? Quis denique ad id quod verum est poterit pervenire, nisi codicem Pighii denuo ipse contulerit? Erraret Mommsenius in iudicando, referendi quidem fidem integram servare debuit.



At expressum adeo certissimumque testimonium de loco, quo haec inscriptio inventa sit, Mommsenius videtur sibi reperisse, quod si esset tale, quale ille vult, non ad alia omnia pertineret, fateri oporteret, casu Muratorium cum temere quae tradita essent, mutaret, id posuisse de origine monumenti, quod cum certa fide non pugnaret, Pighium autem nescio quo pacto errasse. Nimirum Pomponius Laetus, vir literarum studio eximio notus, Roma a. d. XVI. Kal. April. anni 1488 sic scribit ad Angelum Politianum Florentiam, quae epistola est in Ang. Politiani et aliorum virorum illustrium epistolis 15 libr. I. (ed. Basil. 1522 p. 25), item in Pomponii Laeti operibus, Argentor. 1510, p. 64: *Serius quam opinabar ab amicissimo fieri, distuli ad te mittere, quod summopere legere optabas. Causa fuit nescio quis, qui se intra paucos dies daturum Quintilem et Sextilem mihi pollicitus est. Remque is longius opinione mea traxit. Ipse tandem ut creditori, qui vel praecipuus es, satisfacerem, quae apud me erant, diligentissime exscripsi. A Venusia Apulorum allata sunt marmorea in tabula: obscuro loco ibi latebant fragmenta aliarum tabularum, ubi annus integer erat; coniungi nequiverunt, quod multa deerant: illinc translata Arianum, summa cura, quae superest tabula servatur. Mitto et quaedam monimenta rerum, eodem in loco reperta et placitura tibi (ut existimo) amatori vetustatis. Romae fere idem, sed multo ante, verum fine caret: si habere cupis, rescribe: quamquam quid hoc dixerim? cum facile intelligam te plurimum id quaerere; sed videbatur optabilius, si poposceris: scias omnia quae apud me sunt, tua esse. Huic Angelus Politianus paulo post (ep. 16 eiusd. libri)<sup>o</sup> ita respondet: Quas a te nuper accepi litteras, ita gratas habui, ut me ab iis putem immortalitate donatum. Sed et semenstre calendarium mire fuit gratum et quam ais tabulam bello Marsico factam; quae si eadem est, quam Romae obiter legerim, vereor ut satis ex fide sit exscripta. Siquidem Aimilius, non Aemilius erat in saxo. Quam eandem diphthongum etiam super ipsa Panthei testudine adnotaveram. Iam his epistolarum testimoniis quomodo utatur Mommsenius, prorsus memorabile est. Primum enim idem adhibet artificium, quod paulo supra notavimus: Politiani verbis, ubi ait semenstre calendarium mire sibi fuisse gratum, per parenthesin adiiicit rectius dicendum fuisse bimenstre, nimirum ut Politianus de calendario Venusino, cuius duo tantum menses servati sunt, dicere possit. Non cogitat, opinor, de errore, quem commiserint, qui Politiani epistolam vel manu postea vel typis descripserunt (quod si ita esset, ad eam, quam modo exposuimus, similitu-*

<sup>o</sup>) Ipsum tempus accurate definiri nequit; nam in omnibus quas consului editionibus Pomponii Laeti epistolae dies inscribitur XVI. Kal. April. anni 1488, Politiani responso dies IV. Kal. Mart. eiusdem anni, qui error quomodo tollendus sit nescio.

dinem in inscriptionibus Neapolitanis n. 697, ubi Politiani locum citat, tacitus videtur non semenstre, sed bimenstre scripturus fuisse), sed ipsum existimat Politianum nescio qua de causa male scripsisse semenstre. Qua ratione nihil prorsus esse video, quod demonstrari nequeat. Cum tua ratione quod testis aliquis dixerit, non conveniet: alius, ut recte iudicet, rationem suam mutabit in eoque partes suas positas esse statuet, ut quod cum testimoniis congruat, excogitet. Tu nimirum nihil eiusmodi facias: immo testes male dixisse iudicabis mutatisque, quae displicebunt, pronuntiabis? Quis hoc ferat ac non omnis criticae eversionem esse intelligat? Ne tenuissimus quidem testis hoc modo debebit contemni, Politianum vero, virum et doctissimum et accuratissimum, cum calendarium Venusinum, quod duorum mensium esset, studiose legisset eoque praeclaro antiquitatis monumento vehementer delectatus esset, appellasse id semenstre et appellasse ad eum, a quo accepisset, qui errorem continuo animadverteret, cui hoc videatur vel levissimam veri habere similitudinem? Deinde sic pergit Mommsenius, dubium non esse, quin monumenta illa rerum, quae Laetus a se Politiano missa esse dicat, sint ipsi hi fasti Campani, de quibus agatur, quippe in quibus inscriptum sit tabella facta a bello Marsico et Paul. Aemilius cos. anni 34 a. Chr. commemoretur, Romanam autem inscriptionem, quacum Politianus hos fastos Campanos male confundat, esse videlicet Capitolinorum fastorum fragmenta. Ex his quae Laeti aetate iam ante annum 1546, cum alia longe plura inventa sunt, extiterint, esse in Iac. Mazochii epigrammatis urbis Romae (Romae 1521) fol. 121 et 145, eaque ad multo antiquiora tempora pertinere quam hos fastos Campanos, qui ex belli Actiaci tempore sint nec deduci ad eos annos, qui in his exponantur; atque in illis Aimilium consulem ter commemorari annis 317 et 318 et 311. Quae fragmenta cum Romae vidisset Politianus, meminisse unum illud vocabulum Aimilius; nam exemplum fragmentorum Capitolinorum non fuisse apud eum, aliter non potuisse ita decipi, ut fastos Campanos cum illis conferret. Haec Mommsenius, quibus videtur sibi aperte docuisse, fastos hos, quos Apianus primus edidit, Venusiae esse repertos Venusinaeque reipublicae memoriam continere: quae cum coniuncta uno loco posuerimus, ne ratiocinationem eius interrumperemus, iam singillatim persequi debemus multis: tot in iis errores inveniuntur.

Primum igitur Pomponii Laeti monumenta rerum quin hi sint fasti Campani, Mommsenius ait non esse dubium. Duas eius affert opinionis causas, quarum una est, quod Pomponius Laetus dixerit bello Marsico esse factam tabulam, huic autem Campano monumento titulus praemittatur tabella facta a bello Marsico. Videtur hoc esse aliquid, sed si recte quaeras, est omnino nihil. Illa enim Laeti inscriptio facta esse dicebatur bello Marsico, haec a bello Marsico, inter quae quantum intersit quis non videt? Illa poterat esse quaevis, quae vel propter litterarum verborumque formam vel propter res hominesque commemoratos videretur belli Marsici

tempore esse scripta, haec debet esse tabula scribi coepta bello Marsico et deinde continuata. Quare qui Laeti et Campanum hoc monumentum pro eodem habere volet, et Laetum statuere debebit magnopere peccasse, cum praepositionem *a* negligeret, et Politianum, virum doctrinae elegantissimae, prorsus nescio quo pacto vel dormitantem vel subita antiquitatis et turpissima inscitia captum ita existimasse, ut hos fastos Campanos, in quibus Augusti consulatus apertissime commemorari videret, belli Marsici tempore confectos esse crederet Laeto, quaeque plus quam quinquaginta annis inter se distant, incredibili ignorantia confunderet. Quae ne Laeto quidem ut permutaret accidere potuit, nedum Politiano. Quamquam hoc nondum satis est. Etenim Politianus sic habet: quam ais tabulam bello Marsico factam. Praemittitur, ut diximus, inscriptioni Campanae titulus tabella facta a bello Marsico eumque cum nos exposuissimus videri fuisse in ipso lapide, credidit etiam Mommsenius iisdem, quas nos attuleramus, rationibus motus. Quid autem? Quomodo Politianus scribere poterat, Laetum dicere tabulam factam esse bello Marsico? Immo ipsa tabula ita dicit. Quare Mommsenius rursus existimare debet aut Laetum in describendo peccasse, cum quae in monumenti ipsius titulo posita reperisset, ea Politiano tamquam suae doctrinae inventa scriberet, aut Politianum, quae recte a Laeto essent in titulo scripta, ab hoc illustrandae inscriptionis causa adiecta esse imperite existimasse. Quantos igitur et quam multiples virorum eruditorum errores in rebus facilibus atque apertis Mommsenius versatos esse statuit, ut suum ipsius errorem tueatur! Altera causa, quae a Mommsenio affertur, haec est. In monumento, quod Laetus misit, fuerat nomen Aemilii, vocali *e* scriptum, in fastis autem Campanis commemoratur consul anni 34 Paul. Aemilius eadem vocali scriptus. Hoc habet sane aliquam speciem, sed nullam certe necessitatem. Quidni enim duo superfuerint clarissimae Aemiliae gentis monumenta? Quae si eadem aetate confecta essent, certe ambo eandem vocalem haberent. Quamquam nisi quem cupiditas aut consuetudo aut nescio quid aliud omnino caecum ageret, facile erat ad intelligendum, quae tabula bello Marsico facta ab Politiano commemoraretur, hanc, in qua fasti Campani sunt, utique esse non posse. Miserat Laetus Politiano quaedam monumenta rerum (i. e. inscriptiones, nam sic saepe solet Politianus dicere) Venusiae reperta, sed miserat exempla, qualia ipsi ab amicis Romam missa erant; nam lapides per tantum spatium Venusia in urbem esse asportatos ne Mommsenius quidem, qui Neapolim ad duces Calabriae auctos esse putet, credit. Iam Politianus acceptis exemplis illis respondet dubitans, an viderit Romae eiusdem inscriptionis, quam Laetus miserat, non exemplum aliquod exscriptum, sed saxum ipsum. Sic enim ait: quae si eadem est quam Romae obiter legerim, vereor ut satis ex fide sit exscripta; siquidem Aemilius non Aemilius erat in saxo. Necesse igitur est crediderit lapidem, cuius exemplum a Laeto missum erat, ipsum esse Romae. Iam confuderit Politianus fastos hos Campanos cum aliis



inscriptionibus, fuerit tanta oscitantia, ut diphthongum aliquam diligenter memoria retineret, universum monumenti clarissimi ingenium non teneret, tribuamus ei denique tot tantosque errores, quantos tribuere certe non debemus: num etiam hoc committere potuit, ut, quam inscriptionem Laetus tamquam recens Venusiae inventam misisset, eius pridem saxum ipsum Romam advectum ibique ab se lectum esse existimaret? Quae cum ita sint, efficitur, ut Laeti et Politiani epistolae parum accurate inter se respondeant, ut tabula bello Marsico facta, quam Politianus et ipsam Romae esse sciebat et olim a se lectam esse opinabatur, esse non possit ex illis monumentis Venusiae repertis, de quibus Laetus scripserat, sed ut alia quaedam fuerit inscriptio vel Romae aut prope urbem inventa vel, qua de re infra dicemus, a Laeto ementita. Ac ne calendarium quidem idem dicunt Laetus et Politianus, ille dicit Venusinum bimestre, hic semenstre aliquod. Neque vero propterea necesse erit statuere, eos his, de quibus agimus, epistolis non inter se respondisse. Quid enim abhorret a similitudine veri, cum Laetus Politianum magno inscriptionum antiquarum studio ardere nosset, eum ad calendarium Venusinum aliaque monumenta Venusina, de quibus solis in epistola scripsisset, quia dum non mittitur epistola interim aliae inscriptiones offerrentur, adiecisse fasciculo et aliud calendarium aliquod et titulos in urbe repertos? Cuius generis plurima quotidie accidunt.

Confecta est res et ita confecta, ut incredibiles quidam Mommsenii errores, qui vix excusari possent, detegerentur. Sed oportet tamen etiam reliqua, quibus Venusiae hos fastos repertos esse vult demonstrare, singillatim persequi. Ait enim, inscriptionem Romanam, cum qua et Laetus et Politianus hos fastos Campanos male confuderint, esse scilicet fastos Capitolinos, eiusque opinionis confirmandae causa ea disputat, quae supra cum fide relata sunt. His tria opponimus. Primum nonne iure conqueramur insignem rursus iniuriam factam esse Politiano, qui existimetur, cum fastos Capitolinos quamvis leviter legisset, cum iis Campanos in longe aliis rebus versantes confudisse, qualem errorem, sicubi viro docto accidit, argumentis certe magnis convinci oportet, iniuriam factam esse etiam Pomponii Laeti doctrinae vix credibilem, qui cum Romae versaretur verosque fastos Capitolinos et sine dubio descriptos haberet et quotidie intueri posset, non animadvertisse putetur, quid inter hos et inter illos Campanos interesset. Sed faciamus illos errasse, ne Mommsenius erraverit, illud aperte falsum, quod fastorum Capitolinorum fragmenta quae Laeti tempore nota essent, negat hic ad Augusti aetatem pertinuisse. Etenim praeter duo illa, quae afferit, tertium est apud eundem Iac. Mazochium epigrammat. urb. Rom. f. 132, quod cum ad annum 13 p. Chr. pertineat, novissimum est omnium, quae nota sunt, vereque finem eorum (si ille finis, qui nullus est, appellari poterit) constituit. Veruntamen haec etsi et magna sunt per se et fidem omnem Mommsenianae coniecturae convellunt, parva sunt prae levitate vel inscitia

incredibili, qua ipsa Pomponii Laeti verba interpretatur. Qui cum sic scribat: **Mitto** quaedam monimenta rerum eodem in loco (Venusiae) reperta et placitura sibi, ut existimo, amatori vetustatis. Romae fere idem, sed multo ante, verum fine caret, hoc effici vult, ut quod Romae sit monumentum, id ad antiquiora tempora pertineat. Nimirum illud quod est sed multo ante, sic explicat, fastos Capitolinos ad tempus multo superius, ad aetatem, quae multo antecedit, pertinere, illud autem verum fine caret sic, eosdem non pertinere ad eos annos, quorum consules in Campanis perscripti sint. \*) Hocine, malum, est scire Latine? hocine interpretari? Sint sane illa paulo negligentius scripta, quippe in epistola, hoc tamen Laetus dicat necesse est, idem fere monumentum, quod Venusiae repertum sit, repertum esse Romae, sed multo ante detectum esse, cum Venusinum nuper prodierit, deinde quae extrema sint in monumento Venusino, ea deesse in Romano; neque enim, cum nihil eorum esset in fastis Capitolinis, quae habent Campani, illis licebat dicere contineri fere idem quod his eosdemque illos horum fine carere. Nimirum huc evadere solet illa, quae Mommsenium transversum rapit, libido, quae cum nulla certa ratione nitatur ac proficiscatur ab testimoniis auctorum corrupendis et contemnendis, eo tandem deducit, ut, quasi poenam quandam sprete aliorum iudicii dare debeas, tuae ipse incitiae ac temeritatis documentum edas manifestum.

Exposuimus fere, quae ad refellendum Mommsenium pertinent, ex quibus apparet, neque a Pomponio Laeto neque ab Politiano hos fastos Campanos commemorari. Sed quid dicat uterque indicare difficile sane est propter Laeti ingenium, qui cum incredibili studio antiquitatis incensus esset, non ea tamen erat fide, ut non multa, quae superesse cuperet, quasi extarent, fingeret ac per viros doctos propagaret. Quod utrum ille animi causa, ut ingenium veteribus monumentis excogitandis exerceret, an decipiendi causa fecerit nescio; socius enim erat nobilis illius academiae Romanae non multo post a pontificibus discussae, cuius omnes sodales hac vel fraude vel ingenii exercitatione uti solebant. Quare aliquot, quae ab illo profectae erant, inscriptiones dudum damnatae sunt ab Antonio Augustino in Dialog. XI. p. 229, alias fictas esse nuper docuit Bart. Borghesius apud Avelinum Opuscul. Tom. II. p. 312. Et tamen, quae ipse scribit, ad vera antiquitatis monumenta videntur referri. Omnino enim calendaria Laeti tempore nota erant quattuor, primum id, quod Capranicorum appellari solet, quod duos menses, Augustum et Septembrem, eosque ex maiore parte mutilos exhibet, deinde Esquilinum, item duorum mensium Maii et Iunii, tum Pincianum, quod tres menses, Iulium,

\*) Ne quis incredibilia me fingere existimet, ipsa Mommsenii verba appono: Die zu Laetus Zeit benannten Stücke gehören viel älteren Zeiten an als die Venusinischen Fasten (multo ante) und gehen nicht auf die Jahre hinab, die diese betreffen (fine caret). Eaque ne nolenti excidisse videantur, repetuntur breviter in inscr. Neap. n. 697.

Augustum, Septembrem ita continet, ut praeter ipsas dierum notas omnia perierint, denique Venusinum, quod Maium et Iunium complectitur. Quare quod Politiano scribit fuisse nescio quem, qui Quintilem et Sextilem daturum sese promitteret, convenit sane in calendarium Venusinum, cuius ipsi qui praecedunt, duo menses extant. Quamquam certe ille nescio quis Pomponii Laeti nec frater Iucundus fuit, qui an fuerit dubitat Mommsenius, nec quisquis fuit, facere quod promiserat potuit, siquidem ultra duos menses nihil unquam de calendario Venusino prodiit. Miserit etiam Laetus alia quaedam Venusina monumenta ad Politianum, quoniam narrat quaedam monumenta eodem in loco reperta sese mittere: sed ne hoc quidem dubium esse, quin Venusinis his titulis addiderit quosdam alios, qui Romae vel inventi essent vel inventi esse dicerentur, quorum in epistola sua nullam mentionem facit, supra iam demonstravimus. Idque hoc loco certissime confirmatur. Quid enim est semenstre illud calendarium, quod missum sibi esse respondet Politianus? Nam neque fuisse ullum semenstre tunc notum paulo ante diximus, neque ex bimenstrium illorum et trimenstris coniunctione ullo pacto sex menses rite effici poterant neque denique cuiquam temeraria Mommsenii correctio bimenstre pro semenstri appellantis placebit. Nimirum illud calendarium dicere videtur Politianus, quod anno 1509 Iac. Mazochius edidit sic inscriptum: *Fasti sex priorum mensium ex antiquo marmore invento per Thamyras sub Capitolini ruinis, cuius marmoris altera pars reliquos etiam sex menses sine fastis continebat. Cuius calendarii originem indicat P. F. Fogginius in fastis Praenestinis p. 104. Fraus enim manifesta est, cum alias ob causas tum quod Mazochius locum, ubi marmor inventum sit, non indicat accuratius in ipsisque fastis ea tantum commemorantur, quae Ovidius in fastis habet, qui cum in sexto mense deficiant, ne calendarium quidem illud ultra extenditur. Thamyras autem ille personatus ex celebri illa academia Romana fuit, quam Pomponius Laetus instituerat, cuius sodales solebant ficta sibi nomina imponere: quis fuerit, Fogginius nescit; ego illum nescio quem fuisse suspicor, qui Laeto duos menses calendarii se daturum promisisset. Habemus igitur semenstre calendarium, quod et nosset Laetus et cum viris doctis communicare cuperet, habemus idem Romae inventum, quod aptissime Politianus, qui dolum tunc nondum intelligeret, significare posset. Quae autem iam tabula illa bello Marsico facta, quam una cum hoc ementito calendario Laetus miserat Politiano? Eam esse non posse hos fastos Campanos, quia Politianus de saxo olim in urbe viso loquatur, ante exposuimus, nec quisquam fuit, qui vel errans Romae eos repertos esse opinaretur. Ipse Apianus, qui inter urbis Romae monumenta refert, excusat se quasi addens placuisse sibi fragmentum superiorum magistratum in nonnullis bellis Romanis illo loco subiicere. Sed ipsa tamen inscriptio ut indicetur, nec fieri potest nec recte debet postulari; equidem cum calendarium a Laeto ementitum sit, maxime suspi-*



cor, etiam hanc tabulam bello Marsico factam ex elogiis illis fuisse antiquis, quaelia aliquot a Laeto eiusque sodalibus composita esse diximus. Cf. Gruter. corp. inscript. spur. p. 9.

Hoc igitur certum, in epistolis illis Pomponii Laeti et Politiani nullam esse mentionem horum, de quibus agitur, fastorum, ac collabi totum, quod inde Mommsenius de origine monumenti effecerat testimonium. Reliqua autem, quae quasi in subsidium opinionis suae affert, levissima sunt. Nam quod ait calendaria et fastos consuevisse coniunctim per municipia proponi, quidni ita concedamus, ut de origine fastorum Campanorum nihil prorsus effici dicamus? Ut Praenestinum ad nos pervenit calendarium sine fastis, ut Amiterninum, ut Allifanum, ut rursus fastorum Nolanorum pars, item Casinatium et Ostiensium, sine calendariis, cur Venusiae utrumque servatum esse necesse sit? Deinde quod de magistratibus affert Mommsenius, quos ait in his fastis reperiri eosdem ac fuisse constet Venusiae, Viri, aediles, adde etiam si placet quaestores communes fuerunt plurimorum Italiae municipiorum, ut nulla unius alicuius reipublicae inveniendae facultas relinquatur. Tum quod gentium quae appellentur nomina Venusinae civitatis propria fuisse existimat, vellem non posuisset modo hoc, verum etiam demonstrasset; nunc nec negare poterit, etiam finitimarum civitatum homines Venusiae honores gessisse et facile erit Avellini auctoritatem opponere, qui cum regionis illius respublicas non minus nosset quam Mommsenius, ex ipsis his gentium nominibus intelligere sibi videbatur, ad Paestanam coloniam hos, qui Capuae collocari solent, fastos esse referendos.

Absolvimus primam partem disputationis nostrae, qua effectum est, ut cum de origine fastorum Campanorum nulla alia testimonia supersint, auctoritas exempli Pighiani relinquatur, in qua, dum certius aliquid inveniatur, sit acquiescendum. Sequitur alterum, ut in disceptationem vere criticam vocemur de ratione, qua in inscriptione restituenda utendum fuerit, quam cum parum rectam secuti essemus, ad incredibilem Mommsenius ait nos libidinem esse deductos. Atque hoc quidem, si id agebat, ut de scientia nostra epigraphica detraheret (ac videtur sane aliquid eiusmodi velle, cum rationem nostram criticae epigraphicae factitandae insignem appellet) excusabo hominem, qui ut suae causae serviret, sciens a veritate desciverit; sin vere et ex animo ita sentiebat, vereor magnopere, ne, quod sua ipsi nimium placeant, de alienis recte iudicare nequeat.\*) Nimirum Mommseniana restitutio ab nostra in tribus versibus discrepat, quos si evicerimus ab illo praepostere esse collocatos evertique monumenti clarissimi integritatem, ubi supererit libido

\*) Illa vero aperta Mommsenii cavillatio p. 235, quod etiam quae typhothetae nostri culpa erat, eam nobis imputat. Cui cum nos marmor per sex ordines descriptum tradidissemus, ille, quia si ordines iuxta collocarentur, nimium chartae perire arbitrabatur, binos ordines, quantum paginae spatium patiebatur, alteros subiecit primis, alteris tertios. Cui adversari nos quidem noluimus; credebamus enim paululum virorum doctorum iudicio.

nostra ac temeritas? Qua in quaestione repetenda faciendum fortasse fuisse alicui videatur, ut repeteremus etiam ipsos fastos Campanos. Sed pepercimus chartae, fatemur, quam cum nihil novi afferremus nisi quod etiam sine exemplis posset intelligi, consumere nolimus. Atque aut bis repetendi erant, et quales exhibebantur olim et quales restituti sunt a nobis, aut ne semel quidem. Dabimus tamen operam, quam maxime poterit fieri, ut ne nimis saepe exempla conferre opus sit.

Iam verum sane est, quod universe praecipit Mommsenius. Postulat enim, si cuius monumenti plura supersint ἀπόγραφα, ut quaeratur, utrum ea omnia ex lapide ipso deducta, an quaedam forte ex iis, quae alii de lapide sumpserunt, perfecta sint: alia nulla ratione, quam quodque exemplum fidem mereatur, posse constitui. Hoc quin ita sit quis dubitat? aut esse quis nescit? Neque ipsi nesciebamus. Sic enim p. 11 scripsimus: Etenim Apiani et fratris Iucundi et Pighii exempla ita inter sese discrepant, ut ab uno quasi ἀντογράφῳ hominis, qui ipsum marmor viderit, repeti prorsus nequeant. Ut in codicibus scriptorum aestimandis aetas nostra dudum ab numero traducta est ad pondus, ita idem quin in inscriptionibus, quae pro brevibus quasi scriptorum reliquiis haberi possunt, faciendum sit, quis negabit? Quamquam cautiores tamen esse debemus in inscriptionibus, quae si aliquamdiu servarentur nec, quod sane saepe accidit, contingo perirent, omnium oculis patebant, omnium cupiditatem alliciebant, denique quicquid ab aliquo peccaretur, certissime emendari paterentur. Scriptorum autem etiam compluria ex antiquo tempore superesse poterant ἀπόγραφα, unde facile codicum classes existebant. Ac plerumque hae inde natae sunt, quod doctus aliquis vir emendandi studio abreptus quae non opus erat correxit, quae ubi propagabantur, diversum codicum genus oriebatur. Quae res in generis universi similitudine quam sit dissimilis in inscriptionibus apparet. Quae cum ita sint, peccavimus fortasse, quod minus vel infirmitati vel cupiditati hominum doctorum consuluerimus. Etenim quod certam esse rem arbitrabamur, relicta illa quaestione ita prorsus ubique disputavimus, quasi quae quattuor extant exempla, ex marmore ipso deducta essent. En age igitur quod tunc reliquimus, iam suppleamus.

Ait igitur Mommsenius unum fratris Iucundi Veronensis exemplum de lapide esse sumptum, reliqua i. e. Farnesianum Muratorii, Pighii, Apiani ab Iucundo esse petita. Ordiamur ab eo, quod Iucundi exemplo est simillimum, ab Farnesiano, quod Muratorius ex schedis anno 1505 ab Thoma Scandiano perscriptis sumpsit, quas schedas non ἀντογράφους esse censet, sed rursus de antiquiore codice descriptas. Equidem illud primum quaeram, qua re Mommsenius doceat a Iucundo visum esse marmor ipsum, ut exemplum eius recte pro ἀντογράφῳ quasi quodam haberi possit. Neque enim ea modo ab eo in schedas recepta esse, quae vidisset, verum etiam alia, quorum exempla a viris doctis accepisset, ait Maffei in Verona illustrata libr. III. Hos autem fastos Campanos non visos esse ab fratre Iucundo

hinc potest colligi. Vidi enim duos codices epigraphicos, qui de fratris Iucundi schedis descripti esse dicebantur, utrumque Venetiis, quorum unus est in bibliotheca Marciana, alter apud equitem illustrissimum Immanuel. Cicognam. In eorum utroque hi fasti ita exhibentur, ut origo et locus monumenti non indicetur, sed spatium tamen diligenter relinquatur, quo eiusmodi notitia aliqua potuerit perscribi. Iam ne Gorius quidem apud Donium ullam loci significationem habet, unde iure colligemus, eam non errore aliquo ab Gorio esse praetermissam, quae Mommsenii, qui omnes omnibus viris doctis errores tribuere solet, videatur futura esse opinio, sed Iucundum ipsum nescisse, nec ubi esset marmor nec ubi conservaretur. Nam Iucundum quoque, quem omnes consentiunt in describendis titulis summa cum cura versatum esse, adeo negligentem fuisse, ut locum, quem nosset, non adderet, quis credat, praesertim cum idem in calendario Venusino accurate sane praemittat, non modo conservari apud ducem Calabriae, verum etiam inventum esse Venusiae? Quodsi locum atque originem monumenti Iucundus ignorabat, certe non viderat ipse, sed ab aliquo alio acceperat. Verum esto; non fuerit Iucundi exemplum eiusmodi quod ex marmore ipso ductum esset; at poterat tamen fieri, ut Iucundi secundarium quasi exemplum, neglectis reliquis quae ex lapide proficiscerentur, unum esset fundamentum trium illorum, quae extant nobisque nota sunt. Quis neget potuisse id aliqua ratione fieri? Quamquam mirum sane esset cetera perisse. Sed faciamus tamen interisse reliqua exempla: num probabile est Farnesianum ductum esse ex eo quod frater Iucundus habebat? Hic schedas suas integras circa annum 1490 attulerat Florentiam easque cum dedicatione inscripserat Laurentio Mediceo, principi eius civitatis, a quo cum accepisset Politianus, laudat in Miscellaneis c. 77. Num probabile est, eum, antequam dedicasset, aliis eas utendas commodasse? At paulo post adeo fuisse eas ignotas, ut Iucundus post mortem Medicei denuo archiepiscopo cuidam Consentino dedicaret, ostendit Maffei eo quo diximus loco. Veruntamen emanarint nonnulla celeriter (neque enim id fieri non potuisse negabo) atque ita emanarint, ut Scandianus ab eo cui prodita essent acciperet, certe qui Farnesianum ex Iucundi exemplo petitum esse putabit, necesse est magnam iniuriam faciat Muratorio. Fuerit ille negligens, quamquam non fuit tam negligens quam Mommsenius aliique eiusdem sectae clamant, fuerit eius artis criticae, quam nostra aetas postulat, sane imperitus (nam alia potius sequebatur, quae nunc rursus ab nostris negliguntur): at fuit in inscriptionibus omnibus versatissimus, viderat plures schedas, quam longe plurimi eorum, qui post eum epigraphicae Latinae operam dederunt. Qui cum hos fastos ex schedis Farnesianis exhibeat, eosdem in schedis fratris Iucundi inveniri ait discrepantiamque scripturae non omnem ille quidem, at aliquam affert. Cur igitur si tantam inter utrasque similitudinem animadvertisset, ut alterae ex alteris deductae esse viderentur, non significavit? Sed ita prorsus loquitur, quasi utraeque separatim ex ipso lapide profectae sint, cui nisi contra aperte demonstretur, fidem haberi oportebit.



Nec vero potuit aliter iudicare Muratorius ac iudicavit. Praetereo reliqua, quae intersunt inter Iucundi et Farnesianas schedas, quod in illis est vs. 1 P. PECINIVS, in his P. PETINIVS, quod in illis vs. 13 L. SCVTARIVS M. CALPVRNIVS. Q., in his L. SCVTARIVS M. CALVENTIVS. Q., quod vs. 31 in illis C. PONTIENVS est, qui in his Q. PONTIANVS vocatur, quod in illis vs. 60 est FECER, in his FECIT (haec enim omnia Mommsenius negligentia eius, qui Iucundi exemplum male repetiverit, quam incredibilem esse volet, orta esse defendet); at quos duos versus Iucundus omittit, vs. 39 et 40, unde habuit Th. Scandianus? Iam hoc eiusmodi videtur esse, quod Mommsenius explicare nequeat. Sed explicat tamen facile. Nam cum fuissent in Iucundi exemplo, a Gorio cum typis describeret praetermissos esse ait p. 229. Quid est hoc, quaeso? Neminemne tangere potest Mommsenius, quem non aut prudentem aut imprudentem errasse iudicet? Nos vero ut locum originemque monumenti ab Iucundo quia ea nesciret praetermissa esse vidimus, ita ne hos quidem duos versus apud Iucundum fuisse Farnesianumque exemplum ab eo discrepare existimabimus. Eademque causa nos movebat, ut ne Pighianum quidem exemplum ab Iucundo ductum esse statueremus; nam in illo et duo versus, de quibus modo diximus, et praeterea vs. 1, qui aedilium par habet, locusque inventi monumenti, quae omnia apud Iucundum desunt, inveniuntur. Superest tertium Apiani exemplum, quod magnam sane molestiam exhibet Mommsenio; sed superat tamen eam, ut levissime dicam, solita sua confidentia. Duae res hoc loco spectandae, primum ipsa verba, deinde versuum ordo, quarum illam omittit Mommsenius, de hac sola disputat; nos, ut rem recte geramus, de illa quoque breviter dicemus, hanc paululum interim differemus. In ipsis igitur verbis quid inter Apianum et inter Iucundum interest? Primum omnia ea, quae modo in Pighiano exemplo attulimus, quae satis, opinor, diversam utriusque originem coarguunt; deinde vs. 39 (utimur autem numeris emendati nostri exempli) et 63 omittit Apianus, vs. 9 habet Q. LAERTIVS. C. CVMEIVS, Iucundus Q. LARCIVS C. RVMEIVS, vs. 15 Apianus P. ANTONIVS, Iucundus P. AVTRONIVS; vs. 20 Apianus L. LAENIVS, Iucundus L. LARONIVS; vs. 25 Apianus C. N. DOMITIVS. C. SOSSIIVS, Iucundus C. DOMITIVS C. SOSIIVS; vs. 31 Apianus C. ANNAEN, Iucundus C. ANNAEVS, vs. 44 Apianus SEPIMIVS, Iucundus SEPVNIVS, vs. 60 Apianus NERVIS et MESTRIVS, Iucundus NARIVS et MESTRIVS; vs. 65 Apianus L. GENIVS, Iucundus L. GAVIVS: num haec igitur et similia (nam quaedam omisimus) sunt eiusmodi, quae vel a typhothetis Apiani errari vel ex male lecto aliquo exemplo Iucundi oriri potuerint? An vero in his apertissimum testimonium esse, quo Apiani exemplum de lapide male lecto ortum esse persuadeam, probabo omnibus? Rectissime igitur videmur dixisse, quod supra posuimus, Apiani et fratris Iucundi et Pighii exempla ita inter se discrepare, ut ab uno quasi *αὐτογράφῳ* hominis qui ipsum marmor viderit repeti prorsus nequeant. Omnino autem difficile

est factu in inscriptionibus quidem, ut, sicubi duo exempla similia esse videas, continuo alterum ex altero ductum esse existimes. Patet enim omnibus lapis, et possunt ac solent describere plures eaque exempla inter se simillima, immo si recte et cum fide agatur, eadem sint necesse est. Velut si duas imagines hominis pictas videas inter se simillimas, cur utramque separatim ab homine ductas esse neges? Ac simillima est monumentorum ratio, a qua tamen, si idoneae causae aderunt, merito recedemus.

Sequitur, ut de versuum ordine disputemus, quem in tribus exemplis Iucundi et Pighii et Apiani perturbatum esse diximus, in Farnesiano de coniectura a Muratorio mutatum, ut huius nulla in hoc genere ratio habenda sit. Apparet autem illa perturbatio, quoniam alter Caesaris Octaviani consulatus postponitur tertio; quomodo orta sit, magnopere quaeritur. Ea de re haec olim scripsimus in comment. epigraph. p. 11: Unum autem fateor me mea in ratione ipsum mirari esse solitum, quomodo accidisset, ut tres homines (tot enim in consulum serie digerenda peccant) etiamsi facile esset ordines confundere, eadem tamen ratione confunderent. — Quare cum plures utique descripserint, error necesse est exierit ab eo qui lapidem invenit, qui dum restituere vult, disiecta membra male coagmentavit. Multaque similia animo cogitabam, quae persequi non opus est. Nihil in his est, quod non etiam nunc tuear ac rectissime disputatum esse intelligam. At Mommsenius haec perversa esse ait, quem ut propulemus, antequam ipsius sententiam qualis sit examinemus, nostram rationem defendamus. A pluribus igitur marmor descriptum esse docuimus; idque, si illud in castro principis expositum esset, ita accidisse per se probabile est. In quo describendo si omnes eadem ratione peccarunt, certe peccandi causa in marmore, non in hominibus posita erat. Facile hoc concedent cum reliqui tum Mommsenius. Quales autem sese homines illi fuisse ostendunt? Num eos, qui vitia, quae animadvertere sibi viderentur in lapidibus, corrigerent itaque exempla sua corrumpere? Minime certe; relinquebant enim errorem, qui in Octaviani consulatibus apertissime pateret, ut eum etiam imperiti non videre nequirent. Volebant igitur cum fide reddere quae in saxo legerant. Sed imperitior tamen Apiani auctor, qui etiam praeter seriem versuum in plurimis rebus peccavit, quam reliqui. Quid igitur decepit viros bonos et fideles? Nimirum saxum ipsum. Sed quomodo? Dupliciter id accidisse diximus. Priorem causam sic indicavimus in comment. p. 9: Nam quis quamvis negligens ita non unum aut alterum versum omittere (nam hoc quidem in longiore titulo oculis aberrantibus facile accidit), sed saepius complures versus vel singulos vel binos vel ternos vel etiam plures, in alienum locum inserere potuit? Quare hos fastos in marmore per plures quasi ordines scriptos fuisse iudico, ad eundem fere modum, quo fastorum Casina-

tium fragmentum, quod apud Fabrett. p. 485 est, per duos ordines distributum esse invenimus. Li ordines, quia et litterae non eadem in omnibus versibus erant magnitudine et modo maius modo minus spatium inter singulos versus relinquebatur (idque cum alias fieri constat tum in hoc monumento accidisse videri demonstravimus), versibus impares erant, unde fiebat, ut qui describerent, ab uno ordine ad alium aberrantes nec quae cohaerent servarent et aliena inter se miscerent. Num haec impugnat Mommsenius? Non impugnat; immo ordinum haec ratio magnopere ei videtur placuisse, quoniam ea ipse deinde, sed inepte, usus est. Relinquamus igitur hoc et ad alteram causam accedamus, de qua sic diximus p. 11: Nimirum ad augendam atque adiuvandam confusionem etiam hoc videtur accessisse, quod fractum esset marmor; particulam certe inscriptionis tamquam peculiarem titulum ex Erizzi libro apud Gruterum (p. 1087, 2) exhiberi vidimus. Hoc loco magnopere in nos invehitur Mommsenius p. 234, quod ex inscriptiuncula illa Gruteriana, quae quosdam horum fastorum versus continet, marmor fractum fuisse collegissemus. Quasi vero collegerimus! Quod verba nostra docent aperte, non, quia Erizzius particulam exhibuisset, ideo fractum fuisse lapidem diximus; sed cum fractum fuisse aliis de causis crederemus, eodem Erizzi particulam pertinere putavimus. Sed nihil tamen affert Mommsenius, ut fractum fuisse negaret, etsi ipse integrum fuisse statuit. Quidni autem esset fractum? Id tot marmoribus accidit, ut vix commemorandum esse videatur, magnopere autem ad confusionis rationem intelligendam confert. Iam si dispersa iacuissent marmoris fragmenta, fieri non potuit, ut tres homines eadem ratione eaque falsa describerent; itaque in iis, quae supra posuimus, significavimus, cum marmor in domo ducis Calabriae collocaretur, factum esse, ut fragmenta secundum externam aliquam probabilitatem ab opifice aliquo coagmentarentur, sed imperite. Hoc accidit saepe et par est accidisse. Ita autem qui describebant, nisi vellent fidem suam prodere, non poterant non eadem ratione peccare. Quamquam etiam sic aliquod mansit peritiae et imperitiae discrimen; nam Iucundiani et Pighiani exempli auctores cum communiter quod necesse erat errarent, reliqua probabiliter reddiderunt, Apiani vero auctor etiam alios multos errores admisit eaque ipsa re nobis nunc ordinum illorum inveniendorum facultatem praebet. Iam in hac nostra, quam denuo explicavimus, ratione quid est quod reprehendatur? Eos qui descripserunt saxum, credimus fuisse et viros bonos et eius rei quam suscipiebant mediocriter certe peritos atque utrumque ex communi rerum humanarum lege credendum erit, dum contra fuisse evincatur; fastos scriptos fuisse putamus ita, ut scripti sunt alii qui supersunt; in saxo denique ipso ea accidisse statuimus, quae saepe acciderunt in multis, ut nec ab ipsa rerum natura nec ab consuetudine nec a probabilitate recedamus.



Iam conferamus cum his Mommsenianam rationem. Marmor, quod in domo principis esset expositum, ita tamen censet fuisse absconditum, ut modo unus descripsit. Esto, descripsit unus, quamvis ab similitudine veri certe sit alienissimum. Descripsit frater Iucundus. Hoc quoque demus, quamvis non posse dari docuerimus. Quomodo tandem ille adeo in describendo errare potuit? Audiamus. Recte eum ait omnia descripsisse usque ad vs. 31, tum, quia similes essent vs. 32 et 42 et 43, primum errasse, quod omissis undecim versibus ab vs. 31 transisset continuo ad vs. 43. Post autem ubi iterum quod scripserat cum lapide conferret, animadvertisse errorem ommissaque repetisse, sed iterum errasse, rursus omisso vs. 40. Tum hunc quoque alterum errorem esse observatum, sed casum ita tulisse, ut ne tunc quidem recte describeret; nam cum duo essent ommissa, vs. 32—39, 41, 42 et vs. 40, tertium eum errasse, quod vs. 40 anteposuisset reliquis, et quartum, quod non eo quo oportebat loco, sed male post vs. 10 inseruisset.<sup>\*)</sup> Tanta molis erat! Vix fidem tanta temeritas invenire videatur, ut quemquam, nedum virum in describendis lapidibus exercitatum, qualis Iucundus fuit omnium consensu, totiens ac tam inepte statuas errasse, erroresque dum emendare studet, auxisse. Neque vero hoc satis est. Ita Iucundi modo exemplum quomodo corruptum sit, explicatur, a quo Apianus ita recedit, ut singulari aliqua ratione opus sit. Hoc videlicet loco illud adhibet Mommsenius, quod nos inveneramus, ut ordinum, per quos titulus scriptus esset, confusione errores natos esse statueremus. Sed quomodo adhibet? Facilius est, opinor, quod manu scriptum sit, typis exprimere quam quod in marmore legitur, describere, qua in re incidunt illi quidem errores (ac multos incidisse in Apiani collectione scimus), sed ii tamen, qui in litterarum permutatione et omissione consistant. Ut magna aliqua oriatur confusio, si vel mediocris adhibeatur diligentia, vix potest fieri. Quid igitur opinatur ille? Statuit (idque ut asseverandi audacia documentorum infirmitatem tegat, apertum esse ait), veruntamen statuit exemplum Iucundi, quod prorsus consueto modo ut versus deinceps tamquam in columna ponerentur scriptum fuisse scimus, in illo Apiani codice per quattuor ordines ita fuisse dispositum, ut priores duo novenorum versuum in pagina aliqua aversa, alteri duo vicenorum fere versuum, in insequenti pagina adversa essent. Ita cum quae superimposita est toti titulo inscriptio ultra primum ordinem in alterum pertineret,

<sup>\*)</sup> Hoc quoque loco ne quis prodigia me fingere existimet, ipsa Mommsenii verba afferenda esse puto: Die von mir vorgeschlagene Aushilfe beruht auf der Annahme einer doppelten Versetzung, die dadurch entstanden zu sein scheint, dass Iucundus, getäuscht durch die sehr ähnlichen Zeilen 32 und 42, 43, von Z. 31. gleich auf 43 übersprang. Die ausgelassenen Zeilen 32—42 wurden bei nochmaligem Vergleichen ergänzt, wobei indessen die Z. 40 wieder übersehen und nach der Hand nachgetragen ward. So war ein doppelter Nachtrag entstanden, Z. 32—39, 41, 42 und 40, welche in umgekehrter Ordnung an die falsche Stelle zwischen Z. 10 und 11 eingeschoben wurden. Unum in his sane miror, qua verborum quasi lenitate magnitudinem errorum, quos fratri Iucundo imputat, mitigavit.

vs. 10, unde alterum ordinem incipi oportebat, in tertium, vs. 19, tertii ordinis principium, in quartum porrigeretur, typhothetam Apiani male inductum esse ut ordinem tituli perturbaret. Etenim necessario etiam in ea re Apianum ab Iucundi quale fuisse putat exemplo discessisse existimat, ut ille non ordines illos quattuor, quos intuebatur, exprimeret, sed novam ac perpetuam inscriptionis seriem efficeret. Adeone hominem quemquam sibi placere, ut dum ipse sapiat, doctos et indoctos pariter in eo ipso, quod maxime agerent, una maximae stultitiae lege condemnet! Sane nos quoque errorem aliquem accidisse censemus; est enim necesse; sed cum ab iis ortum esse, qui inscriptionem restituere neque vellent neque possent, reliquos cum fide id quod eorum muneris esset explesse arbitramur.

Veruntamen taedet sane haec pluribus persequi: ad rem tandem causamque veniamus. Hoc quaeritur, ab utro fasti hi recte restituti sint: hic finis debet esse totius disputationis. Tu si tua ratione, quae tibi videtur optima, non recte restitueris, merito suspicionem moveas ne rationem quidem fuisse rectam; ego si mea ratione verum invenero, quid postulari potest amplius?

Iam horum fastorum Campanorum ordinem, qualis vulgo traditur, cum perturbatum esse appareat ex consulatibus Romanis (nam Imp. Caesari II. L. Volcatius eos. postponuntur Imp. Caesari III. M. Valerio consulibus), parum haec quidem pars habet difficultatis. Qui enim quoque anno Kal. Ian. consulatum inerint, notum est: suffectorum etiam nomina facile suo loco poterunt collocari. In altera autem parte, qua continentur magistratus municipales, constituenda primum hoc secuti sumus, ut ea, quae in omnibus exemplis coniuncta exhibentur, coniungenda, quae alio loco in alio collocarentur, quaerendum esse putarem quo essent inserenda. Num hoc vituperat Mommsenius? Videtur sane, quia nostram incredibilem licentiam insectatur; sed causam tamen nullam addit, ut maledictum hoc potius quam ullam iustam vituperationem esse existimemus. Quid enim vituperetur? Quibus locis eos, qui descripserunt, de ordine versuum consentire videmus, eos, quia nulla causa dissentendi esset, sed plani essent ac faciles, recte descriptos esse statuimus nec debere moveri, eos autem in quibus dissentiretur, ex rerum argumentique veritate esse iudicandos. Nihil in his quod a recta ratione discedat videmus. Iam in illis, quae varie ab auctoribus traduntur, ut rerum veritate duceremur, hoc primum secuti sumus, ut, qui uno anno nominarentur magistratus, eosdem omnibus appellandos esse putarem. Patet enim Romanae reipublicae similitudo, in qua cum antiquitus consules, praetores, aediles fierent, iidem, nisi certa de causa ab consuetudine recederetur, quotannis creabantur, neque quisquam ferre poterit, si in fastis Romanis uno anno eos quod diximus magistratus, alio duos fortasse ex iis commemorari videbit, cum aut vitium subesse aut certa aliqua de causa tertium illum magistratum non factum esse suspicabitur. Neque enim temere haec et casu administrantur. Itaque cum in his fastis Campanis anno 33, qui annus pariter eodem-

que modo ab omnibus auctoribus traditur, nominentur hi magistratus municipales, **II** viri, aediles, quaestores, eosdem oportet esse quotannis et eodem ordine. Ac licet hoc servare omnibus locis, de quorum ordine auctores consentiunt, praeter tria haec. Primum enim anno 33 per duos menses commemorantur praefecti pro **II** viris, quos praefectos fere ad similitudinem dictatorum Romanorum, cum **II** viri fieri non possent, creatos esse scimus. Hoc igitur rationem certam habebit et excusabitur. Deinde anno 35 nulli commemorantur quaestores, sed id eo accidisse, quod totum id magistratum genus anno demum 34 introductum esset, paulo post docebimus. Relinquitur denique annus 30, quo cum **L. Cornelius Q. Vettius II** viri nominentur, subsequantur continuo **C. Cassius C. Geminius** quaestores, aediles cur non facti sint, nulla reddatur ratio, necessario lacunam statuemus atque excidisse aedilium nomina. Quo loco Mommsenium non possumus non mirari. Etenim cum rationem nostram veram esse non neget (tacet enim totamque rem, quam nos gravissimam esse putamus, cum superba quadam ignorantia praetermittit), idem tamen lacunam nullam significat. Quid igitur iudicabunt, qui exemplo eius utentur? Nimirum aut ab auctoritate discedere veriti in maximae rei confusione versabuntur aut ingentem laborem exhaurient, dum originem monumenti quaerendo exempla, quae supersunt, denuo examinando ad id quod verum est perveniant. Neque ita sese tuebitur Mommsenius, ut hoc muneris sui fuisse neget; criticum se noluisse agere, non interpretem; qui enim vere criticus esse volet, ne interpretatione quidem abstinebit. Admonitum vero ab alio neque quod verum est perspicere, neque quantum difficultatis alius repererit vel versiculo uno significare, ut lenissime dicam, magnae est levitatis. Qua eadem ratione si Mommsenius in aliis monumentis usus erit, quantum utilitatis in nonnullis inscriptionibus Neapolitanis attulit, tantumdem in aliis damni ac molestiae vix tolerandae viris doctis exhibuit. Similisque huic, quam nos iure videmur statuuisse, lacunae est alia vs. 57, ubi cum non sine probabili aliqua causa consulum suffectorum nomina excidisse existimarimus, ille, tamquam nihil esset observandum, omnia plena exhibuit neque mediocres maximae rei tenebras obiecit. Quam lacunam quia ad rem municipalem nihil pertinet, hoc loco praetermisimus.

Alterum, quod in restituendis his fastis secuti sumus, sane apparet ac tacite videtur a Mommsenio comprobari. Neque enim municipales magistratus, ut Romae libertatis tempore, semper creabantur annui, sed modo bimestres, modo trimestres, modo in plures menses, ut haec modo videatur lex fuisse, ne ultra annum fierent. Necessae igitur erat, ut haec magistratum tempora diligenter servarentur, qua maxime re in priore fastorum confusione laborabatur, exciperentque inter se magistratus neque aut vacuum ullum spatium relinqueretur aut plures eiusdem generis magistratus eodem tempore nominarentur. Tertium vero quod observandum fuisse diximus, non modo maxime per se est memorabile, verum etiam plurimum ad universam magistratum seriem constituendam confert. Etenim vs. 11 haec sunt:



hoc anno quaestores creati. Reliquis reliquorum annorum magistratibus, et **I**viris et aedilibus et quaestoribus, nihil praemittitur nisi tempus, per quod honore functi sint, in eaque re adeo breves hi fasti sunt, ut cum anno 29 pariter atque anno 30 omnes magistratus a Kalendis Ianuariis ad Kalendas Ianuarias proximas fuerint, omnis temporis significatio omittatur. Quid igitur vult sibi illud aliquo anno quaestores esse creatos? Equidem in comment. epigraph. p. 49 breviter dixi sic esse explicandum, ut illo tempore primum quaestores creatos esse censeamus. In hoc invehitur Mommsenius peccatumque esse iudicat. Fatetur ille quidem, difficilem esse locum, sed nostram sententiam ullo modo admitti posse negat. Primum enim non esse exemplis demonstratum, in fastis omnino solere annotari, si qui novi magistratus creari coepti essent, eamque annotationem fuisse supervacaneam futuram nec brevitati epigraphicae convenientem; satis enim fuisse, nomina novorum magistratuum eo quo instituti essent tempore afferri. In quo iniquiorem legem nobis ponit, qui ipse nullis testimoniorum aut argumentorum vinculis astrictus esse velit, si hoc postulat, ut ex fastis municipalibus similitudinem aliquam demonstremus. Nam cum ex hoc genere supersint fasti Nolani apud Orell. n. 4033, et Casinates apud Guasc. mus. Capitol. I. p. 157 n. 81, adde Ostienses apud Feam fragm. fast. consul. et triumph. n. 19 et Praenestorum tria fragmenta apud Foggin. fast. anni Rom. p. XIV. et Petrin. Memor. Praenest. n. 4 et 5, in his nunquam aut veterum magistratuum mutatio aut novi alicuius adiectio annotatur, ut quomodo homines municipales dicturi fuerint, nesciamus. Sin hoc vult similitudinem aliquam afferri ex aliquo fastorum genere, queratur sane, quod hominum vel commoditati vel inscientiae minus consuluerimus, posse afferri talem similitudinem certe non negabit. Magnus enim est eorum error, qui ut nescio quam dicendi breviter in publicis monumentis efficiant, abiiciendum esse censent quicquid paululum extra propositum fastorum addatur. In ipsis consulum Romanorum fastis Capitolinis quot res annotantur cum summis magistratibus proprie non coniunctae? Velut, ubi additur hunc vel illum postea cognomine aliquo appellatum esse, cum sufficebat appellare, ubi est abdicasse consules in eorumque locum dictum esse dictatorem, ubi mortuum esse aliquem in eiusque locum suffectum alium, cum satis erat ipsos suffectos nominare, similiaque plurima, ex quibus qui omnia ad illam brevitatis rationem redigere volet, multa sane recidat oportebit. Novi autem magistratus institutionem in ipsis horum Capitolinorum fastorum fragmentis semel annotari video, anno 451 a. Chr., ubi sic partim extat partim necessario supplendum est: **Abdicarunt** (consules) **ut decemviri consulari imperio fierent. Decemviri consulari imperio legibus scribendis facti sunt eod. anno; tum nominantur decemviri.** Haec non dubito quin Mommsenius deleri utique velit; pugnant enim cum illa quam sequitur brevitate et in fastis Campanis recte ac secundum consuetudinem quaestorum institutionem narrari docent.

At urget etiam aliter Mommsenius; negat enim illis hoc anno quaestores creati hanc quam nos diximus sententiam posse subiici, ut tunc primum quaestores constituti esse videantur: esse debuisse vel hoc anno quaestores primum creati vel hoc anno quaestores creari coepti, nec possi id omitti, in quo ipse rei cardo vertatur. Quid igitur ipsi de his verbis placet? Inserit enim versum 11 et 12 in annum 31 a. Chr., cum Imp. Caesar III. M. Valerius consules fuerunt, ut haec existant:

**HOC. ANNO. QVAESTORES. CREATI**

**EX. K. IVL. AD. K. IVL**

**EX. K. IVL. AD. K. IAN,**

deinde IIviri et aediles et quaestores, qui a Kal. Iuliis anni 31 ad Kal. Ian. anni 30 fuerunt, referantur. Anno autem antecedenti, i. e. anno 32, de quaestoribus posuerat haec:

**EX. K. IVL. AD. K. IVL.**

**L. SCVTARIVS. M. CALPVARNIVS. Q.**

Iam cum anno 31 a. Chr. IIviri Sex. Titius L. Geminius, aediles C. Annii Sex. Vettius (nam hos ille hoc anno collocat, quos nos rectius vs. 10 posuimus) a Kal. Febr. ad Kal. Iul. facti essent, quibus iisdem calendis quaestores anno 32 facti decederent, huc pertinere ait obscura illa, ut ait, verba: **HOC. ANNO. QVAESTORES fuerunt anno praecedente CREATI. EX. K. IVL. anni 32 a. Chr. AD. K. IVL. anni 31 a. Chr.** Amplius nihil addit, ut de horum verborum sententia obscurius, quam ipsa ei videntur esse, disputarit. Utrum igitur mavult? Lacunamne esse in inscriptione, ut illa, quae putat, vere olim fuerint in lapide, sed temporis iniuria perierint? An cum nihil desit, sic ea quae supersunt, intelligenda esse existimat? Si illud placet, pugnat cum omnium testium auctoritate, qui quoniam seriem versuum confusam exhibent, hoc admittant, ut versus aliquis excidisse putetur, sed ipsos versus omnes et ab initio et ab exitu integros tradiderint. Sin explicanda sic censet ea quae integra supersunt (atque hoc videtur malle), magnam Latinitatis inscitiam prodit. Quis enim mediocriter Latine peritus quod est hoc anno quaestores creati aliter intelligat nisi illo anno quaestores creatos esse? Utraque autem ratione sive ea quae in marmore fuisse putat sive quae non fuisse, explet, rursus minus Latine dicit. Neque enim Latinum est anno praecedente creati ex Kal. Iul., sed esse oportet creati ex Kal. Iuliis antecedentibus. Ita in tabula Heraeleensi altera est: qui minor annos triginta natus erit, nequis eorum post Kal. Ianuar. secundas in municipio magistratum gerito, et ibidem: quicumque in municipio — post. Kal. Quinct. primas comitia — habebit, et in marmore fastorum Colotiano IIviro reipublicae constituendae creatos esse ex a. d. v. K. Dec. ad. pr. K. Ian. sextas, et in notissima inscriptione Pompeiana: locantur balineum Venerium et nongentum tabernae — ex

idibus Augustis primis in idus Augustas sextas annos continuos quinque, et similia multa passim in monumentis publicis privatisque inveniuntur. Tum videat Mommsenius, ne magis quam quisquam unquam ab consuetudine inscriptionum, qualis cum ex aliis monumentis tum ex his ipsis fastis cognoscitur, desciscat. Nam anno 32, cum magna magistratuum municipalium mutatio fuisset, sic scriptum est: ex Kal. Iul. ad Kal. Sept. praefectos fuisse, tum ex Kal. Sept. ad Kal. Febr. proximas II viros, tum ex Kal. Iul. ad Kal. Febr. proximas aediles, ut semper calendae, qui priore loco ponuntur, eius ipsius anni, quae altero loco, insequentis anni intelligantur. Hoc anno 31 a. Chr., ad cuius calendas Iulias fuisse quaestores ex antecedentis anni fastis cognoscitur, cur adiectum esse putabimus, quod et temere repetatur et cum reliquorum annorum more pugnet?

Enimvero Mommsenium ut hoc Latinitatis prodigium excogitaret eiusque efficiendi causa universum monumentum pessumdaret, rursus induxit quae tamquam poena quaedam insequitur Latinitatis inscitia. Nimirum illud hoc anno quaestores creati significat id ipsum quod quaerit, illo anno quaestores primum esse factos et factos esse deinceps quotannis. Auctorem citemus unum, sed satis locupletem, ut opinamur, Pomponium de origine iuris et omnium magistratuum in Dig. I., 2, 2, qui originem magistratuum Romanorum breviter recenset. Is §. 16 sic habet: Exactis deinde regibus consules constituti sunt duo; §. 17 post deinde — censores constituti sunt; §. 18 populo deinde aucto — dictatores proditi sunt; §. 20 iisdem temporibus plebs — tribunos sibi in monte sacro creavit; §. 21 itemque duos ex plebe constituerunt, qui etiam aediles appellati sunt; §. 22 deinde — constituti sunt quaestores; §. 23 et — constituebantur — quaestores parricidii; §. 24 decemviri constituti; §. 25 deinde — post aliquot annos — factum est, ut tribuni militum crearentur; §. 26 deinde cum placuisset creari etiam ex plebe consules, coeperunt ex utroque corpore constitui; ita facti sunt aediles curules; §. 27 Cumque consules avocarentur bellis finitimis — factum est ut praetor quoque crearetur; §. 28 Post aliquot annos — creatus est alius praetor — peregrinus; §. 29 deinde — decemviri litibus iudicandis sunt constituti; §. 30 quinqueviri constituti sunt; §. 32 capta deinde Sardinia — totidem praetores — creati sunt. — Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati. Divus Augustus sedecim praetores constituit. Duo constanter verba a Pomponio usurpari videmus constituendi et creandi; nam semel ubi aediles curules factos esse scribit, quia antecedit constituendi verbum, apparet facti sunt esse idem quod extiterunt, confecti sunt. Quare cum in his fastis Campanis scribitur hoc anno quaestores creati, significetur necesse est illo anno quaestores constitutos esse, factos esse quaestores non semel illo anno nec postea repetitos, sed ita ut perpetuus eorum esset magistratus. Aliud erat illo anno



quaestores factos esse, in quo nulla inest perpetuitatis significatio. Haec cum sit propria ac quasi peculiaris verbi creandi potestas, non negabo tamen etiam alteram invaluisse, ut qui semel fierent magistratus, creari dicerentur; saepe enim verborum significationes ita quasi propagantur idemque in verbo constituendi accidit. Neque minus ignoro, fortasse accidisse, ut, qui Capuae primi facti sunt quaestores, C. Sulpicius et C. Salius Bubulcus, in titulis appellarentur quaestores qui primi fuerunt sive facti sunt; solent enim omnes et minores et maiores magistratus saepe hoc genere praedicationis in inscriptionibus uti. Veruntamen, cum creari valeat, quod diximus, creatos esse quaestores illo anno significabit id ipsum, quod Mommsenius quaerit, tunc primum esse creatos vel creari coeptos.

Reliqua autem, quae Mommsenius affert, ut nostram interpretationem admitti non posse doceat, parvi sane facienda sunt. Nos cum illum locum hoc anno quaestores creati ea ratione quam diximus, explicassemus, et iis, qui insequerentur annis quaestores esse oportere collegeramus et iis qui antecederent, esse non oportere, eiusque rei documento dixeramus esse ipsum annum 35 a. Chr., ex quo unus vs. 2. superesset. Quo cum aediles nominentur continuoque vs. 3 consules anni 34 insequantur, nulla lacunae suspicione, intelligendum esse censuimus, quaestores illo anno factos esse nullos. At Mommsenius illum versum sibi ait videri fuisse partem tituli inscriptioni praemissi, nec satis esse probabile, novum ordinem ab extremo anni versu esse inceptum. Sic enim sane nos statueramus nec vero sine exemplo. Etenim fastorum Casinatium, quos supra iam commemoravimus, apud Guasc. mus. Capit. n. 81 duo supersunt ordines, annos 67 usque ad 75 p. Chr. complectentes. In iis non omnes magistratus Casinates, sed summus modo IIIvirum commemoratur, ut singuli anni tribus versibus enarrentur, quorum primus consules, alter et tertius IIIviros referunt. Iam prior ordo desinit in consulibus anni 71, Imp. Vespasiano III. et M. Cocceio Nerva, alter ordo incipit ab IIIviris, ut ab Casinatibus Mommsenianam illam legem appareat esse neglectam. Dirimitur enim ordinum diversitate annus neque utrum ab ultimo an ab penultimo anni versu novus ordo incipiatur, certe quicquam interest. Quod autem Mommsenius nomina illa aedilium pro titulo quasi inscriptionis habet, facit primum contra fidem eorum, qui tradiderunt. Ex quibus reliqui nihil omnino tituli simile exhibent, Pighius illum unum, quem a principio posuimus versum, quem litteris maioribus distinguit, Apianus qui partem certe tradit, etsi locum perturbat, maiores tamen litteras conservat. Versus autem 2 aequaliter ab omnibus non tituli loco, sed pariter cum reliqua inscriptionis serie traditur; est etiam ceterorum annorum recensui tam similis, ut difficile sit factu, ut alius eum naturae esse existimes. Quodsi vere, id quod nullo modo fieri potest, P. Petinium P. Publilium aediles extra reliquorum municipalium magistratum ordinem quasi in titulo nominatos esse statueremus,

cūr nominatōs esse putāremus? Prior pars tituli haec est: *Tabella* (vel *tabula*; sic enim rectius scribi docuimus in commentationibus nostris p. 13) facta a bello *Marsico*. Quomodo haec essent coniungenda cum aedilium illorum nominibus, quāe nominativo casu ponuntur? Nullam aliam equidem invenio rationem, nisi ut aediles tabulam vel in aere incidendam vel publice proponendam curasse censeamus, similiter atque in nobili albo decurionum Canusinorum apud Fabrett. p. 598 *M. Antonius Priscus L. Annius Secundus* *Hviri* quinquennales nomina decurionum dicuntur in aere incidenda curasse, nisi forte ad inanes opiniones decurrere placet de multisquē verbis omissis cogitare, de quibus vix disputare licet. Novum igitur reperitur aedilium municipalium munus, quod antehac ignotum fuit, ut fastorum curam habuerint. Quos ut constat ponderibus mensurisque examinandis praefuisse aliaque quae ad fori rationem pertinerent, curasse, ita calendariis fastisque prospexisse nec notum est nec simile veri, quam curam ad *Hviro*s potius eosque, a quibus anni ipsi appellarentur, pertinuisse iudico. Sed iniquum est, occasione huius coniecturae *Mommsenianae*, non ex longa rerum consideratione ortae, sed temere et quasi ludibrii causa iactatae, ad longiorem disputationem deduci. Mittimus igitur haec, praesertim quae loco iam recte explicato testimoniorumque auctoritate confirmato inutilia futura sint. Quod autem adiicit *Mommsenius* quaestores sibi videri nullo tempore non fuisse in municipiis, *Venusiae* certe fuisse antiquitus colligi ex inscriptionibus, ex eodem est genere, quod modo attigimus. Nam cum nos in commentationibus epigraphicis p. 171 multis et magnis argumentis docuerimus, in multis municipiis nullos unquam quaestores fuisse, in aliis cum ab initio nulli fuissent, sensim esse inductos, quid iam ad versiculum illum unum, quo *Mommsenius* tanquam pro tribunali sibi videri ubique et semper fuisse pronunciat, respondeamus? Neque si vel *Venusiae* vel *Capuae* vel in alio municipio coloniave liberae republicae Romanae tempore fuerunt quaestores, sequitur ut fuerint Augusti tempore; siquidem dictatoris Caesaris legibus municipiorum respublicas constitutas esse scimus. *Ratiuncula* vero illa, quam addit, nos si ex fastis Nolanis, in quibus *Hviri* tantum et aediles nominantur, colligamus nullos tunc quaestores in colonia Nolana fuisse, non minus recte ex fastis Capitolinis, in quibus consulum tantum mentio fiat, posse coniecere, nullos tunc Romae fuisse nec praetores nec aediles nec quaestores, haec vero ratio, pace hominis dicam, falsa ac prope absurda est. Recte enim sine dubio ex fastis Capitolinis colligimus, consulum et decemvirum et tribunorum militum consulari potestate, qui in iis nominantur, fuisse aliquid proprium, quod cum reliquis magistratibus non haberent commune, nimirum hoc, quod summi erant ex iisque anni nominabantur. In quibus fastis si consulibus adicerentur praetores, necessario faceremus, ut aediles inferiore quasi loco fuisse intelligeremus, quo cum non fuerint, recte consules soli propter eam quam dixi causam nominabantur aut

consules et praetores et aediles, qui curules magistratus efficiunt, recenseri debebant. Quare in fastis Casinatibus quod soli IIIviri nominantur, non sumpsimus documento, non fuisse in illa colonia tunc quaestores (ii enim modo magistratus, ex quibus anni numerantur, in recensum veniebant), nec magis sumpsimus de Praenestina colonia ex fastorum fragmentis, qui item solos IIviros exhibent: at Nolani cum IIviros et aediles appellent, nonne apparet omnes quasi curules coloniae magistratus comprehendi, ex quorum numero quaestores necessario sint excludendi?

Iecimus fundamenta restituendorum fastorum Campanorum vel potius confirmavimus; sunt enim prorsus eadem, quae olim constitueramus. Addidimus etiam Mommsenianae accusationis refutationem, ut iam effectum esse existimemus, ne quis postea virorum doctorum in tam illustri monumento erret. Nam quod Mommsenius p. 228 cum modesta quadam arrogantia etiam Bart. Borghesii auctoritatem, quam quanti facere soleam saepe testatus sum, nobis obiicit, veremur hercle, ne nimis sibi ipse assentetur. Ab eo ait suam restitutionem probari. Qui si probavit olim re cogitata et considerata, non leviter sibi non displicere significavit, certe ubi nostra cognovit, desinet probare illa. Est enim talis restitutio eiusmodi, ut ubi inventa sit, ab omnibus, qui recta mente sunt, intelligatur, Borghesium autem cognovimus aliquotiens cum veriora didicisset, nulla pravitatis pertinacia suam ipsum mutasse sententiam neque omnino eum esse iudicamus, qui frugibus inventis vesci malit glandibus. Verum hercle in tanta refellendi copia prope obliti eramus unum illud, quod recte a Mommsenio observatum esse diximus. Est autem hoc. Pighii duo extant exempla, unum editum in annalibus, quod sumptum esse ait ex codice Marcelli Cervini, alterum scriptum in codice Berolinensi, cui praemittitur Card. S† libro. Debui hoc loco quaerere, quis ille esset cardinalis Marcellus Cervinus, tum invenissem, quod Mommsenius vidit, eundem appellatum esse Sanctae Crucis legendumque in codice Berolinensi cardinalis S. Crucis libro. Praetermisi hoc, fateor, quod debueram examinare; sed negligentia vel festinatio nostra constitit intra eos quos diximus fines. Nam editum Pighii exemplum ex ipso hoc quod manuscriptum reperitur in codice Berolinensi, manasse et intelleximus et diximus, ut confirmarit Mommsenius, quod ipsi conieceramus, non mutarit. Sed hoc unum verum est in universa disputatione Mommseniana, reliqua omnia incredibilium errorum sunt plenissima iique errores, id quod molestissime fero, ex eo sunt genere, ut periti iudices dubitare debeant, an magnum litteris nostris detrimentum allaturi sint. Nam vulgares quidem errores quis non, etiamsi reprehendat, tamen excuset: quaedam discuntur tempore, multa usu, sed haec si latius propagata fuerint imitandique, ut fit, aemulationem excitarint, magnopere vereor, ne scientiae nostrae fundamenta subvertantur. Ac scripsit Mommsenius non semel, sed bis, scripsit non subito, ut argumenta causasque non quaereret, sed explicavit quid et cur quidque



sentiret, scripsit denique adiutus alterius disputatione, quae sive vera sive falsa esset, multa quae ipse fortasse praetermisisset, posset admonere. Quae cum videremus, nolimus tamen irati aut re recenti ad refellendum descendere vituperatique sumus a quibusdam amicis nostris, quod rerum nostrarum essemus negligentiores: nunc et communium litterarum, et monumenti, de quo agitur, praestantissimi causa inviti fecimus, ut haec disputarem, in quibus si quis quid vel acerbius vel vehementius esse dictum putabit, non ut impetum facerem sed ut iustissimam defensionem susciperemus, haec nos scripsisse cogitatio.

**Zumpt.**

*[The following text is a mirrored bleed-through from the reverse side of the page and is therefore inverted.]*